



600036835V

[redacted]

De Argonautarum

ad

Colchos usque expeditione fabulae historia critica.

Scripsit

Dr. Julius Stender.



Kiliae.

In aedibus Caroli a Wechmar.

1874.

De Argonautarum
ad
Colchos usque expeditione fabulae historia critica.

Scripsit

Dr. Julius Stender.

Kiliae.

In aedibus Caroli a Wechmar.

1874.


LIBRARY

P. Guilelmo Forchhammero

praeceptori

sacrum.

Diversis locis sed antiquissimo iam tempore ortae sunt fabulae de Phrixo et Iasone, mox vero coniunctae; qua ex re omittemus Phrixeam fabulam, tractaturi tantum ipsum de Argonautis mythum.

Ne cum ignotis curramus viris, primum de ipsis heroibus agendum est; de quibus postquam Burmannus in praefatione ad Valerii Flacci editionem adiecta omnia fere conlegit quae et sciri possunt et quae sciantur digna sunt, restat ut quaeramus, quomodo heroum numerus auctus sit.[1])

Non omnes heroes ubique in carminibus circumlati sunt, quo factum est ut scriptores in eis enumerandis inter se discrepent; hinc autem argumenta evadunt de singulis personis quaesituro. De quibus omnes consentiunt scriptores hi sunt: Iason, Erginus, Tiphys, Polyphemus, Zetes, Calais, Admetus, Menoetius, Telamon, Peleus, Castor, Pollux, Ancaeus, Butes, Cepheus, Eurytus, Periclymenus, Idas, Meleager, Lynceus, Asterion,[2]) Euphemus, Iphiclus, Iphitus, Mopsus. — Ac Iason erat Aesonis filius[3]) qui patre Cretheo Aeoli filio usus est. Sed de matre Iasonis non consentiunt veteres; est locus notissimus schol. ad Apollon. Rhod. I, 230: *ὁ γὰρ Μινύας πολλὰς εἶχεν θυγατέρας. καὶ γὰρ*

---

[1]) De quibusdam Argonautis exposuerunt Forchhammer, Hellen. p. 205 sq., O. Mueller, Orch. p. 259 sq. [2]) Apollodor. I, 9. 16. 9 Asterium habet; sed nomen mutandum est. [3]) De Minyis e quorum gente Iason fuisse dicitur cfr. Forchhammer. Hellen. p. 330—334.

ὁ Ἰάσων Ἀλκιμέδης ἐστὶ τῆς Κλυμένης τῆς Μινύου θυγατρός. Στησίχορος δὲ Ἐτεοκλυμένης φησίν, Φερεκύδης δὲ Ἀλκιμέδης τῆς Φυλάκου, κ. τ. λ. Herodotus eam Polyphemen appellavit[1]) filiam Autolyci, Arnen autem Tzetzes ad Lycophron. v. 872 (*Αἴσονος καὶ Πολυμήδης τῆς Αὐτολύκου ἢ κατά τινας Ἄρνης ἢ Σκάρφης Ἰάσων*), Polymeden Apollodorus quoque,[2]) Polymelen autem nominavit Tzetzes,[3]) Andro Halicarnassensis[4]) *ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν συγγενειῶν* Theogneten Laodici filiam, deinde Rhoeo iterum Tzetzes (Chil. VII, 980), Staphyli filiam, denique Diodorus (IV, 50) Amphinomen. Non alienum putavi adicere nomina matri Iasonis data cum Iason ipse princeps sit expeditionis; sed quod ex his adnotationibus possit concludi de fabula, quomodo apud diversas gentes mutata sit, quoniam si plura nomina fert herois alicuius mater eo mythum in alias civitates emigrasse atque inlatum esse indicari solet, aliis relinquam disquirendum, ne huiusce dissertationis spatium nimis excedam. Haec concludendi vero ratio non ad Iasonem[5]) tantum pertinet sed etiam ad socios quos sibi ascivit. Contulerunt locos et nomina Burmannus in catalogo Argonautarum, Clavier ad Apollodor. p. 153 sqq., alii, quos apud utrumque invenies laudatos. Hanc igitur quaestionem mittam. Sed aliud tractandum est: ipsi catalogi a veteribus scriptoribus traditi quomodo inter se cohaereant; nam etsi nonnulli errores virorum doctorum iam pridem detecti sunt, velut Carrionis de Anchisteo (quem nuper R. Unger in Philol. Suppl. II, p. 642 Argonautam fuisse putavit, sed pro Anchisteo posito nomine *Ἀγχηστεύς*), Buphago, aliis, (cfr. Burmannus sub his voc.), tamen multa sunt tractanda relicta. Primum quorundam heroum nomina catalogo adiecta sunt, ut explicarentur nomina urbium: huc spectant Butes, non Teleontis sed Amyci regis Bebrycum filius, (qui pluries confunduntur) qui cum Sirenes canerent cantu deceptus in mare sese praecipitavit, sed a Venere servatus Lilybaeum translatus est ubi ex ea Erycem genuit;[6]) deinde Amyrus[7]) propter urbem eiusdem nominis quae in Thessalia ponitur; (ceterum hic fugit Bur-

---

[1]) Schol. ad Apoll. I, 45. [2]) bibl. 2. 9. 16. 1. [3]) Chil. VII, 96. [4]) schol. ad Apoll. I, 45. [5]) De statua Iasonis cfr. H. Lambeck. de Mercurii statua vulgo Iasonis habita Thoruni 1860. Sed neque Iasonis neque Mercurii videtur esse. [6]) Cfr. Diodor 4. 83 qui Butem regem Siciliae fuisse tradidit: propter Erycis urbis nomen Butes heroum numero insertus videtur esse. [7]) Steph. Byz. s. v.

mannum.) Asterion, propter acropolin urbis Piresiarum; cfr. Steph. Byz. s. v. et Unger in Philol. Suppl. II, 734; Armenius,[1]) Azorus,[2]) Cius, propter Cium urbem Bithyniae, cfr. Strab. XII, 564.

Deinde explicandum est de ipsis catalogis, quae sit ratio et quae origo; inveniuntur autem catalogi apud Apollonium Rhodium, Valerium Flaccum, in Orphico quod dicitur carmine de Argonautis, apud Apollodorum, Hyginum, Tzetzam in scholiis Lycophronis Cassandrae additis, Eudociam; praeterea principes Argonautarum enumerantur a Pindaro (Pyth. IV.) et Diodoro (IV. 41. 2). De hisce et quia ex parte antiquiora praebent et quod partem tantum catalogi adscripserunt prius agendum est. Ac Pindarus quos nominavit hi sunt: Hercules, Castor, Pollux, Euphemus, Periclymenus, Orpheus, Echion, Eurytus, Zetes, Calais, Mopsus; in quibus enumerandis cum neque ratio geographica neque quae ad civitates spectat insit, poetam non omnes voluisse enumerare adparet; praeterea cum secundum ipsius testimonium commutarit fabulas ad faciliorem usum lyricum, cautione opus est, sed dicendum omnes illos a Pindaro commemoratos heroes in omnibus catalogis inveniri, excepto Diodori catalogo, nisi quod Herculem non adfuisse Herodorus testatus est, cfr. schol. ad Apollon. Rhod. I., 1289: *Ἡρόδωρος δέ φησι μὴ συμπεπλευκέναι αὐτόν τε* (Herculem) *καί τινας ἄλλους;* cfr. Apollodor. I, 9. 19. 5. *Ἡρόδωρος δὲ αὐτὸν οὐδὲ τὴν ἀρχήν φησι πλεῦσαι τότε* (scil. *μετὰ τῶν Ἀργ.*) *ἀλλὰ παρ᾽ Ὀμφάλῃ δουλεύειν* (cfr. Apollodor. II, 6. 3. 4., schol. ad Apollon. I, 1289 (verba Ephori) ex quo supplendum est schol. I, 1168). Contra schol. ad Apollon. I, 943: *Γηγενεῖς: τούτων καὶ Ἡρόδωρος μνημονεύει ἐν τοῖς Ἀργοναυτικοῖς καὶ ὅτι ἐπολέμησαν Ἡρακλεῖ,* quae verba contra ceteros locos adlatos videntur pugnare.

Pindarus autem sequitur Hesiodum, ut elucet e schol. ad Apollon. Rhod. IV, 259: *Ἡσίοδος δὲ καὶ Πίνδαρος ἐν Πυθιονίκαις καὶ Ἀντίμαχος ἐν Λύδῃ διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ φασιν ἐλθεῖν αὐτοὺς εἰς Λιβύην καὶ βαστάσαντας τὴν Ἀργὼ εἰς τὸ ἡμέτερον*

---

[1]) A Iustino, Strabone, Stephano Byz. commemoratus. [2]) Apud Hesychium inter Argonautas legitur; nominatur urbis Azori causa, quae in Pelagonia sive Tripolitide ponitur a Strab. VII, 327 et Steph. Byz. s. v. *Ἄζωρος*.

πέλαγος γενέσθαι.[1]) Et Hesiodum quoque catalogum Argonautarum perfecisse constare videtur e schol. ad Apollon. Rhod. I, 45: *οὔτε Ὅμηρος οὔτε Ἡσίοδος οὔτε Φερεκύδης λέγουσι τὸν Ἴφικλον σὺν τοῖς Ἀργοναύταις*; sumpta esse haec nota videtur ex Hesiodi Catalogo, ubi tertio in libro de Argonautarum expeditione expositum fuit (cfr. fr. 70 edit. Markscheffel.), cuius rei testimonia sunt schol. ad Od. *μ*. 69: *Αἴσονος δὲ καὶ Πολυμήδης καθ' Ἡσίοδον γίνεται Ἰάσων*, schol. ad Pind. Nem. III, 92: *Ἡσίοδός φησιν*:

Αἴσων ὃς τέκεθ' υἱὸν Ἰήσονα ποίμενα λαῶν
ὃν Χείρων θρέψεν ἐνὶ Πηλίῳ ὑλήεντι

(scrib. *ον θρέψεν Χείρων* cum Muetzell. de emend. Theogon. p. 84 sq.); deinde testimonia sunt ad Phineum spectantia fragmenta (ap. Markscheffel. fr. 60—69), denique quod supra posuimus schol. ad Apollon. Rhod. IV, 259 de reditu Argonautarum, quod Bergkius litt. hist. gr. I, p. 1006 minus accurate esse positum opinatus est, sed non recte; cfr. schol. ad Apollon. Rhod. IV, 284 ubi legitur: *Ἡσίοδος δὲ διὰ Φάσιδος αὐτοὺς εἰσπεπλευκέναι λέγει. Ἑκαταῖος δὲ ἐλέγχων αὐτὸν ἱστορεῖ μὴ ἐκδιδόναι εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Φᾶσιν, οὐδὲ διὰ Τανάιδος ἔπλευσαν, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτὸν πλοῦν καθ' ὃν καὶ πρότερον, ὡς Σοφοκλῆς ἐν Σκύθαις ἱστορεῖ. καὶ Καλλίμαχος . . . αὐτῶν τοὺς μὲν εἰς τὸν Ἀδρίαν πεπλευκότας μὴ εὑρεῖν τους Ἀργοναύτας, τοὺς δὲ κτλ.* Hunc locum corruptum esse facile elucet; Alfredus a Gutschmid qua uti solet benevolentia olim mecum communicavit medelam: *Ἡσίοδος δὲ διὰ Φάσιδος αὐτοὺς ἐκπεπλευκέναι λέγει καὶ Ἑκαταῖος. ἐλέγχων δὲ αὐτὸν Ἀρτεμίδωρος*[2]) *ἱστορεῖ . . . οὐδὲ διὰ Τανάιδος ἐκπλεῦσαι* (cfr. Keil. not. ad schol.). *καὶ Καλλίμαχος Κόλχων τοὺς μὲν κτλ.* — Praeterea Bergkius l. l. falso ut mihi videtur hoc schol. ad Apollon. Eoeis tribuit; nam cum Hesiodi in conscribendo Catalogo consilium fuisse videatur praeclarissimae

---

[1]) In eodem schol. ad Apollon. Rhod. IV, 259 apertum adhuc exstat mendum: *Τιμάγητος δὲ ἐν α̅ περὶ λιμένων τὸν μὲν Φᾶσιν καταφέρεσθαι ἐκ τῶν Κελτικῶν ὀρῶν κτλ*; quid enim Phasis ad Alpes? Elucet scribendum esse: *Τιμάγητος ἐν α̅ περὶ λιμένων Ἴστρον μέν φησι καταφέρεσθαι κτλ.* [2]) Cfr. Schol. ad Apollon. Rhod. IV, 259: *Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος ἐκ τοῦ Φάσιδος διελθεῖν εἰς τὸν Ὠκεανόν* (Argonautas) . . . *τοῦτο δὲ ὁ Ἐφέσιος Ἀρτεμίδωρος ψεῦδός φησιν εἶναι τὸν γὰρ Φᾶσιν κτλ.*

cuiusque stirpis originem disponere simulque omnes tales stirpes Graecas in unum opus conferre, Eoearum auctor contra mulieres potissimum respiciens harum ipsarum atque prolis earum historiam uberius exposuerit, adparet multo magis in Catalogo fabulae de Argonautis locum fuisse quam in Eoeis; iam vero quod in Eoeis Phineus commemoratus erat (cfr. schol. ad Apollon. Rhod. II, 181) non est impedimentum; utramque enim rationem et Catalogi et Eoearum facile admittit.

Iam igitur pergamus ad Diodorum, quem iam dudum constat rivulum suum deduxisse e Dionysii Mytilenaei libris de Argonautis; certo autem errat Suidas qui istud de Argonautis scriptum sex libros continuisse adfirmat; videtur enim tres tantum complexum esse. Locus Diodori de quo hic nunc paucis disputandum est exstat in libr. IV c. 41, 2: *ὥστε σὺν αὐτῷ τοὺς ἅπαντας εἶναι πεντήκοντα καὶ τέσσαρας* (Argonautas). *τούτων δ' ὑπάρχειν ἐνδοξοτάτους Κάστορα καὶ Πολυδεύκην ἔτι δ' Ἡρακλέα καὶ Τελαμῶνα, πρὸς δὲ τούτοις Ὀρφέα καὶ τὴν Σχοινέως*[1]) *Ἀταλάντην, ἔτι δὲ τοὺς Θεσπίου παῖδας καὶ αὐτὸν τὸν στελλόμενον τὸν πλοῦν ἐπὶ τὴν Κολχίδα.* Quod primum ad Thespii filios adtinet, adparet intellegendum esse Thestium, non Thespium; nam qui filii Thespii solent vocari L sunt, ipse Diodorus autem totum numerum LIV fuisse testatus est. Ceterum ista permutatio iam apud veteres pluries occurrit; moneo tantum de Paus. III, 19. 5. Thestii filii fuere: Iphiclus, Euippus, Plexippus, Eurypylus, quorum ex numero Iphiclus ab omnibus auctoribus inter Argonautas refertur. Euippum, Plexippum, Eurypylum et Atalanten putaverim non esse ex fabula de Argonautis, sed errore quodam huc inductos ex venatione Calydonia (cfr. Apollodor. 1. 8. 2).

Iam igitur transeamus ad ipsum Apollonium (Arg. I, v. 23—233); ordinem quem posuit adscribam ut postea facilius

---

[1]) De Schoeneo v. versum corruptum Dracontii: de deo II, 453 (ed. Glaeser in progr. gymn. Fr. Guil. Vratisl. 1847):

fabula certa foret Phrixei velleris aurum
famam Schoenei verax arietis haberet.

Videtur scribendum esse Schoeneis (i. e. Atalante) et cogitandum non de vellere quodam (de quo nemo scripsit), sed de pomis aureis quae cum Atalante conligeret, superata est ab Hippomene currendo. Ipsa Dracontii verba nondum feliciter potui sanare.

currat disputatio: Orpheus, Asterion, Polyphemus, Iphiclus, Admetus, Erytus, Echion, Aethalides, Coronus, Mopsus, Eurydamas, Menoetius, Eurytion, Eribotes, Oileus, Canthus, Clytius, Iphitus, Telamon, Peleus, Butes, Phalerus, Tiphys, Phlias, Talaos, Arëios, Leodocus, Hercules, Hylas, Nauplius, Idmon, Pollux, Castor, Lynceus, Idas, Periclymenus, Amphidamas, Cepheus, Ancaeus, Augias, Asterius, Amphion, Euphemus, Erginus, Ancaeus (Samius), Meleager, Laocoon, Iphiclus (Thestii f.), Palaemonius, Iphitus, Zetes, Calais, Acastus, Argus, Iason. Unde catalogum conscripserit non certo statui potest; ex scholiis enim nihil fere discimus de eis Argonautis primus quos Apollonius nominavit, exceptis duobus locis, qui tamen sunt eiusmodi ut certi quidquam adfirmari nequeat: schol. I, 224 Demagetus et I, 71 Herodorus commemorantur. Qua ex re iam ad eos venimus catalogos qui ex Apollonio derivati sunt; inter quos primum nominabo Tzetzae Argonautarum catalogum (schol. ad Lycophr. v. 175); hic exscripsit et neglegentissime quidem Apollonium; initium enim facit inde ab Aethalide, errat deinde in Apollonii v. 69 ubi legitur:

καὶ μὴν Ἄκτωρ υἷα Μενοίτιον ἐξ Ὀπόεντος
ὦρσεν,

adscripsit enim Actorem, omisit Menoetium; v. 119 Apollonii omisit Leodocum, v. 131 Hylam, v. 164 Ancaeum, quoniam ab Apollonio non positi sunt in initiis enuntiatorum; v. 179 errore pro Euphemo Polyphemum posuit, omisitque v. 191 Meleagrum. Iam postquam ad finem pervenit eos arcessivit quorum ante Aethalidem ab Apollonio commemoratorum oblitus erat: sed iam primum Orpheum non vidit ante quam omnes ceteros enumeravit; ultimo igitur loco exstat. Reliqui eundem ordinem servant quem dedit Apollonius; quo fit ut Polyphemus quem supra iam errore ductus adscripsit pro Euphemo, iterum nominetur ea sede quam apud Rhodium tenet.

Iam videamus de Eudocia (p. 220 Villois.) quae item usa est Apollonii catalogo: post Orpheum posuit Herculem (ex consilio ut videtur), et post Mopsum Ampycum quem cum pater Mopsi sit veri mihi est simillimum aut editoris aut ipsius Eudociae errore in textum inrepsisse; error certo est cum praeter Eudociam nemo eum inter Argonautas retulerit; omissus deinde est Butes (v. 95 Apoll.); e v. 111 ubi Argus Arestoris filius aedificasse dicitur Argo navem hunc in catalogum suum

recepit, qua de causa neglectus est ubi ab Apollonio enumeratur (v. 226).

Deinde exscripserunt Apollonium Hyginus et auctor carminis Orphici quod dicitur. Hyginus (fab. XIV.) primo loco nominavit Iasonem, transposuit Eribotem et Eurytionem, Peleum et Telamonem, Castorem et Pollucem, Ancaeum et Erginum; deinde vero post Phalerum exhibuit Theseum et Pirithoum, quos item postquam Phalerum posuit nominavit quidem sed negavit Apollonius socios Iasoni fuisse; omisit Talaum, Arëium, Leodocum; denique pro Asterio iterum Asterionem scripsit. Addendum hic est post Calain in codice Frisingensi 237 exstare quosdam inlatos; sunt hi: Focus, Priasus, Eumedon, Actor, Thersanon, Hippalcimos (sic!), Asclepius, Amphiaraus, Neleus, Iolaus, Deucalion, Philoctetes, Caeneus (cfr. not. crit. M. Schmidti ad hunc locum). Fieri potest ut Iolaus et Caeneus ex venatione Calydonia (cfr. Ovid. Met. VIII, 300 sqq.) in nostram fabulam inlati sint; nam pro re nata admodum priscis temporibus harum fabularum confutatio locum habuisse videtur; non enim dubium est quin Meleager et Iphiclus Thestii filius in nostram ex illa fabula venerint; id quod iam ante Apollonium factum est, in cuius carmine huius rei vestigium praeclarum occurrit ubi de Atalante dicitur: I, 769 sqq.:

περὶ γὰρ μενέαινεν ἕπεσθαι (Atalante).
τὴν ὁδόν. ἀλλὰ γὰρ αὐτὸς (Iason) *ἑκὼν ἀπερήτυε κούρην*
δεῖσεν δ' ἀργαλέας ἔριδας φιλότητος ἕκητι.

Ex quo licet ut iam supra de Theseo et Pirithoo vidimus concludere, Apollonium in componendo catalogo critica quadam arte usum esse.

In Orphico quod adpellatur carmine ordo quidem non idem est ac in carmine Apollonii, sed clara vestigia sunt derivationis: unus tantum commemoratur qui deest apud Apollonium: Actorides; hic autem idem est ac Menoetius Actoris filius et errore inlatus, nisi forte mavis putare scripturam insanam esse, cum in eodem versu (138) adscriptus sit Coronus de quo postea v. 170 sqq. iterum et uberius quidem dictum est; denique unus tantum omissus est: Argus Arestoris filius.

Valerium Flaccum qui carmen Apollonii secutus Argonautica composuit veri quidem est simillimum quod ad numerum quoque heroum pertinet, adhibuisse Apollonium, sed et permutatus

turbatusque ordo est et complures nominati sunt qui desunt in Apollonio: Clymenus, Deucalion, Iphis, Nestor, Philoctetes, Tydeus; ex quibus Deucalion cognatus est Aeetae, Nestor autem et Tydeus eam ob causam videntur adlati esse quod filios habuere qui ad Troiam pugnaverunt; Iphis corruptum nomen est cum feminae adpellatio sit (cfr. Hom. Il, XI, 667); Philoctetes ex fabula de oppugnatione Troiae sumptus, Clymenus propterea additus esse videtur quod frater est Iphicli. Adparet igitur mythum de bello Troiano in componendo Argonautarum catalogo adhibitum esse, quod etiam in interpolatis illis verbis Hygini de quibus supra diximus factum est; maxime autem elucet ex Apollodori catalogo de quo nunc disputabimus (I, 9. 16. 7). Apollodorum in bibliotheca sua maxime secutum esse Pherecydem inter homines doctos constat; iam quod ad nostrum locum pertinet, e Pherecydis scriniis expilavit quod exstat in I, 9. 16. 3—6 (cfr. schol. ad Pind. Pyth. IV, 133 et schol. ad Apollon. Rhod. I. 4). Sed catalogus qui sequitur non est Pherecydis; legimus enim in schol. ad Apollon. Rhod. I, 23: *Φερεκύδης ἐν τῇ ϛ Φιλάμμωνά φησι καὶ οὐκ Ὀρφέα συμπεπλευκέναι;* Apollodorus autem neque Philammonem adposuit et Orpheum adscripsit; contra quod de Iphiclo (Phylaci filio) commemoraverunt schol. ad Apollon. Rhod. I, 45 et Phavorin. s. v. *Ἴφικλος: ὡς οὔτε Ἡσίοδος οὔτε Φερεκύδης φησὶ συμπεπλευκέναι τοῖς Ἀργοναύταις Ἴφικλον,* in Apollodorum quoque quadrat, qui hunc omisit. Cum igitur dubia res videatur esse accedit argumentum gravissimum: catalogus qui exstat in Apollodori bibliotheca tam neglegenter perfectus est ut tribui nequeat Pherecydi; conquirere enim studuit auctor Argonautas ex fabulis et de venatione Calydonia et de bello Troiano, alios denique eam tantum ob causam nominavit, ex ratiocinatione quadam ut videtur, quod filios habuere contra Troianos qui pugnaverunt. Ascalaphus et Ialmenus Martis filii e bello Troiano arcessiti sunt, cfr. Paus. IX, 37. 7: *τὴν ἀρχὴν τῶν Ὀρχομενίων ἔσχεν Ἀσκάλαφος καὶ Ἰάλμενος Ἄρεως εἶναι λεγόμενοι· μητρὸς δὲ Ἀστυόχης ἦσαν τῆς Ἄκτορος τοῦ Ἀζέως τοῦ Κλυμένου· καὶ ὑπὸ τούτοις ἡγεμόσι Μινύαι στρατεύουσιν ἐς Τροίαν;* item Lëitos, cfr. Paus. IX, 4. 3: *τῶν δὲ ἡγεμόνων οἳ Βοιωτοὺς ἐς Τροίαν ἤγαγον, μόνος ἀνέστρεψεν οἴκαδε οὗτος ὁ Λήιτος;* item Peneleos, cfr. Paus. IX, 5. 15: *τελευτήσαντος δὲ Θερσάνδρου καὶ δεύτερα ἐπί τε Ἀλέξανδρον καὶ εἰς Ἴλιον*

ἀϑροιζομένου στόλου Πηνέλεων ἄρχοντα εἵλοντο (Thebani); item Euryalus, cfr. Paus. II. 30. 10: Διομήδης γὰρ καὶ Εὐρύαλος ὁ Μηκιστέως . . . . Ἀργείων ἡγήσαντο ἐς Τροίαν. Praeterea etiam Poeantem et Laertem inter Argonautas retulit! Haec sufficiant ut demonstretur quam neglegenter et falso et audacter catalogus compositus sit. Neque igitur Pherecydis liber fons est neque Hellanici quem non nullis locis Apollodorus sequi visus est doctis quibusdam viris; nam in schol. ad Apollon. Rhod. I, 131 et apud Phavorinum exstant notae e quibus adparere videtur ab Hellanico inter Argonautas nominatum fuisse Hylam, quem non praebet Apollodorus. In schol. ad Apollon. Rhod. I, 139 de Amphiarao legimus: τὸν Ἀμφιάραον δέ φησι συμπλεῦσαι Δηίλοχος, ex qua tamen adnotatione non putaverim posse concludi Deilochum (sive potius Deiochum) Apollodori esse fontem.

Addendum videtur esse ne quidquam omisisse videar, Statium in Thebaid. V, v. 397 sqq. partem catalogi exscripsisse; testatur quidem L Argonautas fuisse v. 422, sed non nullos tantum elegit; fortasse usus est Sophoclis tragoedia Λήμνιαι inscripta, qui dedit catalogum: cfr. schol. ad Pind. Pyth. IV. 303: πάντας Σοφοκλῆς ἐν ταῖς Λημνιάσι τῷ δράματι καταλέγει τοὺς εἰς τὸ Ἀργῷον εἰςελϑόντας σκάφος, καὶ Αἰσχύλος ἐν Καβείροις.[1]) ὁ δὲ Πίνδαρος συσταλῆναι τὸν Ἡρακλέα τοῖς Ἀργοναύταις φησίν. Ex Sophoclis catalogo sunt quae exstant nomina apud Stephanum s. v. Δώτιον: Admetus et Coronus; fortasse autem ex illis scholiastae verbis potest concludi, Herculem non fuisse in Argonautarum numero secundum tragicos poetas.

Denique commemorandum est Athenis in templo Tyndaridarum Argonautas omnes pictos fuisse; cfr. Paus. I, 18. 1: τὸ δὲ ἱερὸν τῶν Διοσκούρων ἐστὶν ἀρχαῖον . . . . ἐνταῦϑα Πολύγνωτος μὲν ἔχοντα ἐς αὐτοὺς ἔγραψε γάμον τῶν ϑυγατέρων τῶν Λευκίππου. Μίκων δὲ τοὺς μετὰ Ἰάσονος ἐς Κόλχους πλεύσαντας.[2])

Et haec quidem de Catalogis Argonautarum.

In sequentibus quaestionibus, quod saepe auctoritate scholiorum in Apollonii Rhodii carmen Argonautica inscriptum adiectorum utar, ante de ipsis Apollonii scholiastis pauca praemittere

---

[1]) corr. Heynius: legitur Κιβήραις. [2]) cfr. Böttiger pict. vas. gr. II. 186.

iuvabit quam ad enarrandam expeditionem transgrediamur. Usque ad tempus Caligulae imperatoris quattuor minimum commentatores exstiterunt Apollonii, quorum primum ponam Irenaeum; invenitur schol. I, 1299: *λαῖτμα δὲ τὸ κύτος τῆς θαλάσσης καὶ διάστημα οἱονεὶ λάτμημα ἢ παρὰ τὸ λατύσσεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων, ὅ ἐστι τύπτεσθαι. Σιληνὸς δὲ ἐν Γλώσσαις πέλαγος εἶναι καὶ Εἰρηναῖος ἐν δ̄ Ἀπολλωνίου ἀποδεδώκασιν*; deinde II. 127: *παραιτητέον δὲ Εἰρηναῖον ἀμφανόωντες γράφοντα καὶ ἐξηγούμενον κτείνοντες. οὔτε γὰρ κέχρηταί τις οὕτως τῇ λέξει, οὔτε ἐστὶν ἀπαξαπλῶς ἡ γραφὴ τοῦ ποιητοῦ*; et II. 1015: *ὁ δὲ Εἰρηναῖος Μνησίμαχόν φησι περὶ αὐτοῦ ἱστορεῖν ἐν ᾱ περὶ Σκυθῶν ἀγνοῶν*. Unde adparet Irenaeum et textum emendasse et explicationes addidisse; fieri autem potest ut noster sit Irenaeus de quo legimus in Suidae lex. s. v. *Εἰρηναῖος, ὁ καὶ Πάκατος* (ubi vid. Suid.) *κληθεὶς τῇ Ῥωμαίων διαλέκτῳ μαθητὴς Ἡλιοδώρου τοῦ μετρικοῦ, γραμματικός, Ἀλεξανδρινεύς. Περὶ τῆς Ἀθηναίων προπομπίας. Περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου, ὅτι ἐστὶν ἐκ τῆς Ἀτθίδος β̄ βλία ξ̄. Ἀττικῶν ὀνομάτων γ̄. Ἀττικῆς συνηθείας τῆς ἐν λέξει καὶ προσῳδίᾳ, κατὰ στοιχεῖον βιβλία γ̄. Κανόνας Ἑλληνισμοῦ βιβλίον ᾱ. Περὶ Ἀττικισμοῦ βιβλίον ᾱ καὶ ἄλλα πολλά*. Praeterea vero si hoc certum est ut videtur nihil obstat, quominus auctorem Etymologici M. qui eisdem de Apollonio fontibus usus esse videtur (cfr. Merkel. proleg. in Apollon. p. LXII. sqq.) quibus scholiastae nostri, istum Irenaeum quoque adhibuisse praeter Methodium putemus: citatur enim in Etymol. M. v. *Κομψός. οὕτως Εἰρηναῖος ὁ Ἀττικιστὴς ἐν τῷ κ̄ στοιχείῳ*; argumenta non quidem sunt firmissima, quod tamen non est cur mireris in tanta fragmentorum exiguitate. Merkelius quem hic locus fugisse videtur de illis fontibus Etymol. M. ita disserit (l. l. p. LXX): huic homini (Methodio, de quo dixit Ritschelius in dissertatione de Oro et Orione inscripta), quin omnia debeantur quae in Etymologico M. ex Apollonio eiusque commentatoribus notata sunt dubium non puto esse. ipse quid inde exscripserit aut a prioribus, Oro potissimum acceperit, tam scitu dignum quam verendum est ut sciri hodie queat . . . . Scholia Apollonii Methodio plurima debere et ipsum exploratum est.

Non vero Chares videtur hic enumerandus esse, de quo schol. II. 1054 tradidit: *Στυμφαλίδες δὲ λέγονται περὶ αὐτὴν*

ὄρνιθες ἃς πλωίδας εἶπεν Ἀπολλώνιος. οὕτω δὲ αὐτὰς ὀνομάζεσθαι Σέλευκος ἐν Συμμικτοῖς καὶ Χάρης αὐτοῦ τοῦ Ἀπολλωνίου γνώριμος ἐν τῷ περὶ ἱστοριῶν τοῦ Ἀπολλωνίου; recte enim monuit Weichertus (de Apollonii vit. et carm. p. 391 sq.) eum eodem modo adpellasse aves ut apud Apollonium factum sit; itaque non posse cogitari de commentario; deinde vero *ἱστορίαι τοῦ Ἀπολλωνίου* non spectare ad Argonautica. Neque Aristophanes vir ille clarissimus ut voluit Fabricius bibl. gr. IV. 266 videtur arte critica usus esse in emendando carmine; hoc quoque recte Weichertus p. 393 admodum dissimile esse veri demonstravit; neque denique Hypatia quae quonam de Apollonio scripserit *ὑπόμνημα* (cfr. Suid.) non constat; fieri tamen potest ut noster putandus sit, quoniam filia fuit Theonis Alexandrini sub saeculi IV. exitum florentis, qui ipse is videtur esse quem scholia commentatorem Apollonii fuisse testantur.

Restat denique de tribus aliis commentatoribus in ipsis scholiis testimonium: (Keil. edit. 532. 15) *παράκειται δὲ σχόλια ἐκ τῶν Λουκίλλου Ταῤῥαίου καὶ Σοφοκλέους καὶ Θέωνος.* Ex quibus Lucillus Tarrhaeus fuit paroemiographus, cuius quae fragmenta exstant in scholiis et ad loquendi genus et ad res grammaticas spectant[1]) (cfr. Steph. Byz. 604, 8 sqq.). Theon Alexandrinus fuisse videtur ut suspicatus est Fabricius l. l. IV, 266, qui discernendus est a rhetore Theone et Smyrnaeo, cuique ut videtur debentur notitiae de rebus mythologicis; nam e Steph. Byz. eum commentatorem fuisse liquet Lycophronis (Steph. ed. Mein. 50, 12; 115, 5; 399, 7).

Praeterea commentator Theon fuit Nicandri (Steph. 375, 11) eique procul dubio debetur pars eorum scholiorum ad Apollonii carmen adscriptorum, quae ad mythos a Lycophrone quoque tractatos spectant et ad res Aetolicas quas scimus enarrasse Nicandrum.

Tertius est Sophocles; exceptis eis quae nostra scholia et Stephanus Byzantius praebent, fragmenta non sunt: ne id quidem constat quando vixerit. Iam quodcunque erui potest comparatis scholiis cum Stephano ad seiungenda a ceteris fragmenta Sophoclis subiungam:

---

[1]) Merkel. proleg. in Apollon. p. LXII.

Schol. in Apoll.	Steph. Byz.
II. 378: *Γενηταία ἄκρα κυρίως οὕτω λεγομένη ἀπὸ Γένητος ποταμοῦ.*	202, 14: *Ἀπολλώνιος ἄκραν Γενηταίαν φησί. Σοφοκλῆς ποταμὸν Γένητά φησιν.*
I. 598: *Παλλήνη δὲ ὄρος Θρᾴκης καὶ πόλις, ὅθεν ἦν ὁ Πρωτεύς. Καναστραῖον δὲ ἀκρωτήριον τῆς Παλλήνης.*	353, 6: *Σοφοκλῆς δὲ ὑπομνηματίζων τὰ Ἀργοναυτικὰ Καναστραῖον φησιν ἀκρωτήριον τῆς Παλλήνης.*
I. 932: *ἡ Ἀβαρνὶς πόλις τῆς Λαμψάκου. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ αἰτίας τοιαύτης. Διονύσου ἐρασθεῖσα Ἀφροδίτη ἐμίγη αὐτῷ, καὶ ἀναχωρήσαντος αὐτοῦ εἰς τὴν Ἰνδικὴν ἐμίγη τῷ Ἀδώνιδι. ὡς δὲ ἦλθεν ὁ Διόνυσος στέφανον ποιήσασα ὑπήντησεν αὐτῷ, καὶ στέψασα αὐτὸν ἀκολουθῆσαι μὲν ᾐδεῖτο διὰ τὸ ἤδη γεγαμῆσθαι, εἰς δὲ Λάμψακον ἀναχωρήσασα τὸ ἐξ αὐτῆς κυοφορούμενον ἐβούλετο τεκεῖν. Ἥρα δὲ ζηλοτυποῦσα μεμαγευμένῃ τῇ χειρὶ ἐφήψατο τῆς γαστρὸς αὐτῆς καὶ ἐποίησε τεκεῖν ἄμορφον, ὃν Πρίαπον προσαγορευθῆναι ἐκ τοῦ . . . . ἀπαρνήσασθαι τὴν Ἀφροδίτην, καὶ διὰ τοῦτο Ἀπαρνίδα κληθῆναι. ὕστερον δὲ κατὰ μετάθεσιν τοῦ στοιχείου ἐκλήθη Ἀβαρνίς.*	4, 15: *Ἀπολλώνιος: ‚Περκώτην δ' ἐπὶ τῇ καὶ Ἀβαρνίδος ἠμαθοέσσαν ἠιόνα,' τοῦτο δὲ Σοφοκλῆς ὑπομνηματίζων ἱστορεῖ τὴν Ἀφροδίτην ἄμορφον ἐν Λαμψάκῳ τεκοῦσαν τὸν Πρίαπον ἀπαρνήσασθαι καὶ τὴν χώραν Ἀπαρνίδα καλέσαι, ἢ κατὰ παραφθορὰν καὶ Ἀβαρνὶς καλεῖται.*

Unde simul concludere licet Stephanum, ubi Apollonium citet ubique referendum esse ad Sophoclem, ita ut id quoque tribuamus in scholiis Sophocli quod Stephanus addito nomine Apollonii tradidit:

II. 941: *Σήσαμος πόλις Παφλαγονίας. Ὅμηρος ‚καὶ Σήσαμον ἀμφενέμοντο.' τὸ δὲ Σήσαμον μετωνομάσθη Ἄμαστρις ἀπὸ Δαρείου ἀδελφοῦ θυγατρός. ἐκλήθη δὲ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ σήσαμον λαβεῖν παρὰ Καρῶν ἀντὶ τῆς χώρας βουλομένων κτίσαι τὴν πόλιν. Ἐρυθῖνοι δὲ οὕτω λεγόμενοι λόφοι περὶ Παφλαγονίαν. οὕτω δὲ λέγονται διὰ τὴν ἐρυθρότητα τοῦ χρώματος. εἰσὶ γὰρ τοιοῦτοι. καὶ Ὅμηρος αὐτῶν μέμνηται ‚καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους'.*	279, 14: *Ἐρυθῖνοι, πόλις Παφλαγονίας. λέγεται δὲ παρὰ τὸ ἔρευθος. Ἀπολλώνιος [‚αἰπεινούς τε παρὲξ ἐνέοντ' Ἐρυθίνους' καὶ Ὅμηρος] ‚καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους'. τὸ ἐθνικὸν ὅμοιον.* Cfr. Steph. s. v. *Ἄμαστρις.*

II, 945: *Αἰγιαλὸν: ἔστι γὰρ Αἰγιαλὸς σταδίων ϡ κάμψαντι τὴν Κάραμβιν μέχρι Σινώπης.*

40, 15: *ἔστιν ἕτερος Αἰγιαλὸς προσεχὴς τῷ Πόντῳ μετὰ τὴν Κάραμβιν ἄκραν, ὡς Ἀπολλώνιος.*

II, 992: *οὐδέποτε ἄλσος Ἀκμόνιον ἐδήλωσεν ὁ Εἰρηναῖος. ἔστι δὲ περὶ τὸν Θερμώδοντα. μέμνηται αὐτοῦ Φερεκύδης ἐν β̅.*

60, 18: *ἔστι καὶ [ἄλλο] Ἀκμόνιον ἄλσος περὶ Θερμώδοντα ὡς Φερεκύδης, ἐφ᾽ οὗ μιγεὶς Ἄρης τῇ Ἁρμονίᾳ τὰς Ἀμάζονας ἔσχεν, ὡς Ἀπολλώνιος ἐν δευτέρῳ.*

II, 399: *Κύταια γὰρ πόλις Κολχίδος. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα πόλις τῆς Εὐρώπης Κύταια ὁμώνυμος, τῆς Σκυθικῆς.*

Ἀμαραντῶν δὲ περισπωμένως ὥς φησιν Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ η̅ τῆς καθόλου. ἔστι δὲ Ἀμαραντὸς πόλις ἐν Πόντῳ· ὡς δὲ αὐτός φησιν, ὄρη τῆς Κολχίδος, ἐξ ὧν ὁ Φᾶσις ποταμὸς καταφέρεται κτλ.

398, 14: *Κύτα πόλις Κολχική . . . οἱ δὲ ὅτι δύο εἰσὶ Κύτα, ταῦτα καὶ τῆς Εὐρώπης.*

83, 13: *Ἀμαραντοί, ὀξυτόνως, Κολχικὸν ἔθνος ἀφ᾽ ὧν ὁ Φᾶσις ῥεῖ, ὅθεν καὶ Ἀμαράντιον τὸν Φᾶσίν φασιν.*

III, 1242: *Ὑαντίου Ὀγχηστοῖο: τοῦ Βοιωτικοῦ . . . . Ὀγχηστὸς δὲ πόλις τῆς Βοιωτίας ἱερὰ Ποσειδῶνος. Ὅμηρος Ὀγχηστόν θ᾽ ἱερόν, Ποσιδήιον ἀγλαὸν ἄστυ᾽. Ὑάντιον δὲ ἀντὶ τοῦ Βοιώτιον, κτλ.*

483, 3: *Ὀγχηστός, ἄλσος. Ὅμηρος Ὀγχηστόν θ᾽ ἱερόν, Ποσιδήιον ἀγλαὸν ἄλσος᾽ . . . Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος . . . . πόλιν φησὶ μεγάλην τὸν Ὀγχηστὸν μεταξὺ Ἁλιαρτίων καὶ Ἀκραιφίων.*

Deinde vero consentiunt:

I, 115: *πόλις Πελοποννήσου ἡ Ἀραιθυρέα ἡ νῦν ὀνομαζομένη Φλιοῦς ἀπὸ Φλιοῦντος τοῦ Διονύσου καὶ Χθονοφύλης.*

Steph. s. v. *Φλιοῦς*:

Φλιοῦς πόλις Πελοποννήσου ἡ πρότερον Ἀραιθυρέα καὶ Ἀράντεια, ἀπὸ Φλιοῦντος τοῦ Διονύσου καὶ Χθονοφύλης.

quae similitudo nisi Sophocli non est cui tribuatur.

Item schol. I, 752 init.

ὁ γὰρ Οἰνόμαος Ἄρεως ὢν παῖς καὶ Ἁρπίνης τῆς Ἀσωποῦ.

et Steph. 125, 3:

Ἅρπινα πόλις Ἤλιδος ἀπὸ Ἁρπίνης τῆς Ἀσωποῦ ἀφ᾽ ἧς καὶ Ἄρεος Οἰνόμαος.

I, 57: *Γυρτῶνα Κόρωνος: ἣν Ὅμηρός φησι Γυρτώνην τε νέμοντο᾽. ἔστι δὲ πόλις Θεσσαλίας ἢ Περραιβίας ὡς Σουίδας. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Γυρτώνης τῆς Φλεγύου.*

215, 20: *Γυρτών. πόλις τῆς Θεσσαλίας καὶ Περραιβίας ἣν Ὅμηρος Γυρτώνην καλεῖ, ὡς Ἰτώνην καὶ Ἰτῶνα. ἀπὸ Γυρτῶνος τοῦ Φλεγύου ἀδελφοῦ ὅστις αὐτὴν ἔκτισεν.*

Fortasse huc adnumerandum est schol. I, 68 et Steph. 388, 16 s. v. *Κτιμένη*; nimis autem breve est scholion quam ut certo de eo statui possit. Denique ad Sophoclem omnia ea sunt referenda quae in scholiis nomen Deiochi (et Deilochi, qui est

idem) prae se ferunt; haec sententia nititur maxime scholio ad Apollon. Rhod. I, 1039: *πολεῖς: μνημονεύει Δηίλοχος τῶν ἀναιρεθέντων ὥς φησι Σοφοκλῆς;* cfr. Steph. s. v. *Λάμψακος*, p. 410, 18. Sunt autem scholl. apud Keil. 311, 20; 37; 359, 32; 360, 12; 361, 6; 24; 29; 31; 364, 35; 365, 6; 11; 366, 3; 13; 20; 393, 7.

Haec sunt quae de Sophoclis fragmentis addere volui; ne mireris quod non multa sunt adque primum potissimum, rarius ad secundum, semel ad tertium, nunquam ad quartum scholiorum librum spectant: Stephanus enim qui id tantum recepit quod suum ad complendum opus aptum esse putavit, ansam maiorem eruendorum fragmentorum non praebet. Et haec quidem de scholiis.

Agendum iam est de Argonautarum expeditione usque ad Colchos. Et primum quidem videndum est de via quam secuti sint et ad quam regionem expeditionem secundum antiquissima testimonia fecerint, utrum de una tantum via cogitandum sit necne. Qua in re nunc omittamus Scythicam quam veteres scriptores tradiderunt Argonautas viam ingressos esse, de qua mox disputabimus, et quomodo sese habeat contemplemur locus Homericus Od. *μ* 66 sqq.; hic enim cum traditum sit:

τῇ (πέτρῃ Πλαγκτῶν) δ' οὔπω τις νηῦς φύγεν ἀνδρῶν ἥτις ἵκηται
ἀλλά θ' ὁμοῦ πίνακάς τε νεῶν καὶ σώματα φωτῶν
κύμαθ' ἁλὸς φορέουσι πυρός τ' ὀλοοῖο θύελλαι.
οἴη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντοπόρος νηῦς
'Αργὼ πᾶσι μέλουσα παρ' Αἰήταο πλέουσα·
καί νύ κε τὴν ἔνθ' ὦκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας
ἀλλ' Ἥρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦεν 'Ιήσων,

et cum paullulo infra de saxis Scyllae et Charybdis dictum sit, Homerum Planctas in freto Siculo conlocasse adparet. Iam vero Planctae et Symplegades eaedem sunt, quod ex scholiastae verbis ad versum Homericum adpositis et e Tzetzae ad Lycophr. Cassandr. 1285 nota: *αἳ δὲ Συμπληγάδες πέτραι δύο εἰσίν. ἡ μὲν ἐν Εὐρώπῃ πρὸς τῷ Βυζαντίῳ, ἡ δὲ ἐν 'Ασίᾳ πρὸς τῇ Καλχηδόνι, ἃς Ὅμηρος Πλαγκτὰς καλεῖ*, et ex Hesychii glossis velut: *Συμπληγάδες, αἳ παρ' Ὁμήρῳ Πλαγκταί*, nec non ex aliis scriptoribus Graecis Latinisve elucet (cfr. Lennep. ad Phalar. p. 52—56). Praeterea Aea et Aeaea non sunt diversae,

neque Nitzschius in adnotat. in Hom. Od. III, p. 376 iure statuit insulam Aeaeam domicilium Circes a qua Planctae illae pro re nata admodum prope absunt, et Aeam ubi Aeetae regnum est eandem terram non significare; nam ponitur insula Aeaea ad Phasin quoque: schol. ad Apollon. Rhod. III, 1074: *ὅτι νῆσος ἐν τῷ Φάσιδί ἐστιν ἡ Αἰαία ἐν ᾗ τὸ δέρας ἔκειτο*, et III, 1093: *Αἰαίης νήσου: πλεονάζει ἡ αι συλλαβή. ἔστι γὰρ Αἴης νήσου. Αἶα δὲ μητρόπολις Κόλχων. νήσου δὲ μέμνηται ἐν τῷ Φάσιδι, ἐν ᾗ τὸ δέρας, ὥς φησι Φερεκύδης;* quomodo autem factum sit ut Aeaea et Aea eadem quidem nomina sint et diversas tamen significent terras, facile explicatur e fabula quadam ab Hesiodo tradita: legitur enim in Apollon. III, v. 309 sqq.:

ἤδειν γάρ ποτε πατρὸς ἐν ἅρμασιν Ἠελίοιο
δινεύσας, ὅτ' ἐμεῖο κασιγνήτην ἐκόμιζεν
Κίρκην ἑσπερίης εἴσω χθονός, ἐκ δ' ἱκόμεσθα
ἀκτὴν ἠπείρου Τυρσηνίδος, ἔνθ' ἔτι νῦν περ
ναιετάει, μάλα πολλὸν ἀπόπροθι Κολχίδος αἴης,

et adnotavit ad hosce versus scholiasta: *περὶ τὴν Ἰταλίαν ᾤκησεν ἡ Κίρκη . . . φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος, Ἡσιόδῳ ἑπόμενος, ἐπὶ τοῦ ἅρματος τοῦ Ἡλίου εἰς τὴν κατὰ Τυῤῥηνίαν κειμένην νῆσον τὴν Κίρκην ἐλθεῖν.* Cfr. Diodor. IV, 45, 5: *κατὰ δέ τινας τῶν ἱστορικῶν ἐκλιποῦσαν (Κίρκην) τὸν Πόντον κατοικῆσαι τῆς Ἰταλίας ἀκρωτήριον τὸ μέχρι τοῦ νῦν ἀπ' ἐκείνης Κίρκαιον ὀνομαζόμενον.* Vestigium autem antiquissimae fabulae ex qua Circe in patris domo habitasse dicitur in ipso Homero indagatur: Od. *μ* 1—10:

αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον Ὠκεανοῖο
νηῦς, ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο
νῆσόν τ' Αἰαίην, ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
οἰκία καὶ χοροί εἰσι καὶ ἀντολαὶ Ἠελίοιο
. . . .
ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,
δὴ τότ' ἐγὼν ἑτάρους προΐειν ἐς δώματα Κίρκης.

Poetae in his versibus carmen quoddam de Argonautis ante oculos fuisse et ex hoc ipso loco et ex *μ* 66 sqq. exploratum est; qua de re cum vv. 1 sqq. modo adscripti ad fabulam de Argonautis perbene, in contextum Odysseae non quadrent, primos versus putandus est poeta exscripsisse, mox vero quoniam agebat de regionibus occidentalibus fontem permutasse.

In illo igitur antiquo carmine quod adhibuit auctor Odysseae Circen adparet nondum ad Italiam sedem habuisse. Utrum vero neglegentiae poetae hoc adscribendum [1]) an putandum sit versus notissimos fuisse et quasi formulam vulgo circumlatam non discreverim. Eodem autem modo explicanda sunt verba: *Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα παρ' Αἰήταο πλέουσα*; sumpta enim et deprompta haec quoque sunt ex eodem illo de Argonautis carmine; nam verba: *Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα* cum ita se habeant ut explicationem nullam permittant nisi artificiosam, mihi persuasum est locum habuisse in commemorato illo carmine, ita nimirum ut significaverint: ‚Argo quae omnibus (scilicet Iasonis sociis eique ipsi) cordi est.'

Secundum Homericum igitur carmen Argonautae Symplegadum sive Planctarum pericula superant redeuntes, secundum ceteros scriptores in priore expeditionis parte; sed audacissime is ageret, qui ideo Homericum locum sive corruptum sive interpolatum esse credere mallet: fabula simili quodam modo variata est, ut quae de Lemno traduntur: Apollonius heroes Colchos petentes, Pindarus redeuntes Lemnum venisse dixerunt. Simul autem errare eos adparet qui olim expeditionis partem priorem tantum expositam, postea demum de reditu additum esse opinati sint (cfr. C. O. Mueller, Orch. p. 275). Iam vero quoniam fieri nequeat ut illis temporibus de reditus via qualem Orphicum carmen de Argonautis, Timaeus, alii tradiderunt cogitatum esse putemus, unum tantum restat: ut Homerico carmini tribuamus eandem quam posuit reditus viam Hesiodus, inde a Phaside per Oceanum meridianum et Libyam Argonautas domum petiisse narrans; quae quantum erui potest antiquissima reditus forma est. Nihil huic sententiae quod obstet video, immo est quo firmetur; nam ex Homericis carminibus summo iure concluditur orientem versus Argonautas navigasse, non occidentem versus — ita nimirum ut tum etiam Aeetes in occidentali orbis parte cogitandus esset; petunt enim secundum Homerum Lemnum; cfr. Il. VII, 467 sqq.:

νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέστασαν οἶνον ἄγουσαι
πολλαί, τὰς προέηκεν Ἰησονίδης Εὔνηος,
τόν ῥ' ἔτεχ' Ὑψιπύλη ὑπ' Ἰήσονι ποιμένι λαῶν.

---

[1]) Quod voluit Heimreichius de Telemach. in progr. Flensburg. 1871.

(cfr. Il. XXI. 40 sq. et XXIII, 746 sq.).[1] Itaque eam non probabimus explicationem quam dedit O. Mueller Orch. p. 275 expeditionem Argonautarum non orientem tantum sed etiam occidentales regiones ab initio petiisse. Sed investigandum est utrum omnino praeterea tradita sint vestigia ex quibus liceat concludere de tali expeditione qualem O. Mueller de Homero statuit. Huc maxime spectat locus Herodoteus libr. IV. c. 179 ubi legitur: *ἔστι δὲ καὶ ὅδε λόγος λεγόμενος. Ἰήσονα ἐπείτε οἱ ἐξεργάσθη ὑπὸ τῷ Πηλίῳ ἡ Ἀργώ, ἐσθέμενον ἐς αὐτὴν ἄλλην τε ἑκατόμβην καὶ δὴ καὶ τρίποδα χάλκεον περιπλώειν Πελοπόννησον, βουλόμενον ἐς Δελφοὺς ἀπικέσθαι· καί μιν ὡς πλέοντα γενέσθαι κατὰ Μαλέην, ὑπολαβεῖν ἄνεμον βορέην καὶ ἀποφέρειν πρὸς τὴν Λιβύην· πρὶν δὲ κατιδέσθαι γῆν ἐν τοῖσι βράχεσι γενέσθαι λίμνης τῆς Τριτωνίδος. καί οἱ ἀπορέοντι τὴν ἐξαγωγὴν λόγος ἐστὶ φανῆναι Τρίτωνα καὶ κελεύειν τὸν Ἰήσονα ἑωυτῷ δοῦναι τον τρίποδα, φάμενόν σφι καὶ τὸν πόρον δέξειν καὶ ἀπήμονας ἀποστελέειν κτλ.* Sed hic non agi de expeditione ad capessendum vellus aureum sive propter Medeam instituta perspicuum est; quid enim ad hanc rem Delphi? Mihi certe constat in isto Herodoti loco latere antiquiorem formam fabulae de initiis urbis Cyrenes solutam a fabula de Argonautis.

De Homericis igitur carminibus statuendum est auctori et notam fabulam et fuisse ante oculos carmen antiquissimum de Argonautis, ita autem fuisse mythum instructum ut Aeetes in regione orientali domicilium teneat, Argonautae vero orientem petant, deinde vellere accepto aliquam viam meridiem versus sequantur ad Libyam, et ad Trinacriam sive alio loco maris mediterranei pericula Planctarum sive Symplegadum superent. Quodsi hanc sententiam statuo non simul illis temporibus Homericis fabulam ita iam fuisse constitutam contendo qualem finxit postea Pindarus de rebus in Libya gestis et de origine Cyrenes; quod ne opinemur quam maxime cavendum est; talis enim fabula non potuit oriri ante Ol. XXXV. quod recte monuit O. Mueller contra Vossium qui fabulam de Tritonide palude et gleba ab Euphemo accepta esse ante Homerum ortam putavit (Orch. 275 not.). Sed esse post Homerum fictam etsi summo iure possumus statuere, tamen quam posuimus sententiam tenere licet

[1]) De fonte Artacia quam nuper recte Heimreichius l. l. demonstravit non facere ad nostram rem tacebo.

Homericis temporibus Argonautis redeuntibus adscriptam
viam Libycam: Libya enim iam saeculo XIV. Graecis nor
tantum sed visa fuit. [1])

Sed cavendum est ne Phasin vel terram Colchorun
mericis tribuamus carminibus; ipsa enim fabulae historia ut
videbimus, Argonautas docet paullatim progredientes ut rat
temporum tulerunt a locis prope ad Graeciam sitis in r
ditiores venisse. Conferantur similia de Phrixo tradita in s
ad Apollon. Rhod. I, 933: *ἡ Λάμψακος τὸ πρότερον Πι*
προσηγορεύετο, ἣν τινες Πιτύαν ὀνομάζουσι. τινὲς δέ φ
ὅτι Φρίξος γενόμενος ἐνταῦθα θησαυρὸν ἔθηκεν καὶ
τούτου ἡ πόλις ὠνομάσθη. Θρᾷκες γὰρ τὸν θησαυρὸν πι
λέγουσι κτλ. Exsistit igitur nunc quaestio illis tempo
quousque fabula migraverit; atque quantum de Homerica
graphia erui potest, regio Asiae minoris septentrionalis
tunc fuit fere usque ad Sinopen urbem (sed quae ipsa nor
exstat neque in Iliade neque in Odyssea), quod e cat
navium qui dicitur (Il. B) discimus, cui intra annos 630—
quam hodie praebet forma data esse videtur; atque Niese (p. 5c
ubi disseruit de altera catalogi parte, quae ad Troicas res sp
fontem fuisse demonstravit carmina de Argonautis antiqua;
cum minime dubium sit simul probat septimo a. Chr. n. sa
enarrationes fabulae nostrae fuisse secundum quas exp
fere ad Sinopen pervenerit. Sed si omittimus catalogum na
Homericum ut constat ceteris carminis partibus iam per
additum, ex Iliad. III, 187 et XVI, 719 adparet Sangarium flu
saeculo octavo notum fuisse; et idem fortasse de Cauco
(cfr. Iliad. X, 429, XX, 329) statuendum est, ut taceam de
zonibus fabulosis. Ex hisce autem rebus conicere licet sa
octavo fuisse carmina de Argonautarum expeditione usqu
Mariandynos[3]) fere porrecta. Hoc quamquam ex aliis quoque
imprimis historicis suspicari potes tamen non est alienum eo qu
demonstrasse modo, quo usi sumus, ex ipsis scilicet scripto

Ut recte observaverunt O. Mueller Orch. p. 273 sq. (

---

[1]) Cfr. E. de Rougé, revue archéolog N. S. 8. (1867) Juillet p. 30 sqq.:
d'un memoire sur les attaques dirigées contre l'Égypte par les peuples de la
terranée vers le XIV. siècle avant notre ère. [2]) B. Niese: de catalog. nav. I
Kiliae 1873, p. 58. [3]) Cauconum gente deleta Mariandyni terram occupa
cfr. Strab. 542 c.

de hist. Gr. I, 250 sqq., alii, Aea vox terram aliquam longe remotam significat, sed eandem nondum cognitam; qua de causa neque apud Homerum neque apud Hesiodum neque apud Mimnermum Colchis nomen occurrit, cuius primum mentio facta est ab Eumelo [1]) c. a. 750. Iam si quaerimus unde hauserit Eumelus statim in promptu videtur esse responsum: nam neque Homerus fons est neque forte quisquam alius quem de Argonautis scripsisse scimus; quae enim tradita sunt in Eoeis recentioris sunt temporis, cumque Epimenidis nomine quod fertur carmen *Ἀργοῦς ναυπηγία τε καὶ Ἰάσονος εἰς Κόλχους ἀπόπλους* inscriptum subditicium videatur esse, unum tantum restat carmen quod fieri potest ut adhibuerit Eumelus: *Αἰγίμιος*, sed permulta alia, perpauca de Argonautis eo narrabantur, ut putandum sit Eumelum ex suo ipsius ingenio fabulam auditam contulisse et e carminibus antiquis. Atque ex Hecataei demum tempore postquam terra ad Phasin sita Colchis nominata est ea fabulae nostrae enarratio stabilitur quae expeditionem inde ex Iolci portu usque ad Colchos progressam fecit.

Iam videndum est de eis locis e quibus concludi solet Scythiam finem fuisse expeditionis. Etsi enim ex parte Scythia eandem quam Colchis regionem significare videtur, — nam sunt qui saepius haec nomina inter se commutent vel qui et Colchidem et partem Scythiae tenuisse Aeetam dicant, ita ut nomina quidem diversa, res autem enarratae prorsus eaedem esse videantur, — tamen testimonium nuper publici iuris factum ut hanc mittamus opinionem cogit: Dracontii carmen Medea inscriptum in libro Dracontii carmina non nulla minora continente editum a Friderico de Duhn. Qua de causa res paullulo accuratius consideranda est.

Longum per temporis spatium Colchis diversas significasse videtur terras, regionem quam definit Maeotis et terram ad Caucasum sitam; et si in Orphico quod dicitur carmine (v. 1052 edit. Schneid.). Phasin legimus a Maeotide recipi, hoc minus est profectum ex auctoris quod ad res geographicas adtinet perspicua inscitia, sed fontibus adscribendum. Videtur praeterea ea reditus forma secundum quam Argonautae per Maeotidem

---

[1]) De quo cfr. Groddeckius in bibl. vett. litt. et art. II, 94 sqq.; Markscheffel. Hesiodi Eumeli Cinaethonis etc. fragm. p. 216 sqq.; Welcker. de cycl. ep. I², 256 sqq.; Weichert. de Apoll. vit. et carm. p. 284 sqq.

et Tanain et mare septentrionale domum petiisse dicuntur ex eo orta esse quod fabula vacillabat de situ Colchidis. O. Mueller Orch. p. 280 ubi de Scythica disseruit via adtulit Cytaeam Scythicam apud Scylacem (fr. 71) commemoratam et Brixabam ad Tanain sitam ubi Phrixus ab Agathone in Scythicis (Ps. Plut. de fluv. 14. 4) dicitur immolasse arietem; nec fugit eum locus Hesiodeus (schol. ad Apollon. Rhod. II, 178) ex quo Phineus Phrixo viam Tauricam praecipit.

Ex his locis conclusit et recte quidem, Medeam formam quandam Dianae Tauricae prae se ferre, qua de causa Achillis uxor nominata sit (cfr. Tzetz. ad Lycophr. v. 174. 798) pro Iphigenia. Quae coniectura argumentis firmari potest; non quidem locis velut P. Pap. Statii Thebaid. V. v. 346: ‚illis in Scythicum Borean iter oraque primum' e. q. s.; nam in talibus locis etsi permulti addi possent nunquam error evitari potest, quoniam ut supra monuimus et mox exemplis illustrabimus, persaepe Scythia et Colchis inter se commutantur. Rem decernunt Diodorus et Dracontius. Diodorus (IV. 50) postquam parentes et cognatos Iasonis a Pelia interfectos esse enarravit, Iasonem et socios pergit quamnam ulciscendi rationem ingrederentur nesciisse; tum Medeam succurrisse. Deinde c. 51 ‚*αὐτὴν δὲ*' pergit *κατασκευάσασαν Ἀρτέμιδος εἴδωλον κοῖλον· εἰς μὲν τοῦτο παντοδαπὰς φύσεις φαρμάκων κατακρύψαι, ἑαυτῆς δὲ τὰς μὲν τρίχας δυνάμεσί τισι χρίσασαν ποιῆσαι πολιάς, τὸ δὲ πρόσωπον καὶ τὸ σῶμα ῥυτίδων πλῆρες, ὥστε τοὺς ἰδόντας δοκεῖν εἶναί τινα παντελῶς πρεσβῦτιν. τὸ δὲ τελευταῖον ἀναλαβοῦσαν τὴν θεὸν διεσκευασμένην καταπληκτικῶς εἰς ὄχλων δεισιδαιμονίαν εἰς τὴν πόλιν εἰσβαλεῖν ἅμ' ἡμέρᾳ. ἐνθεαζούσης δ' αὐτῆς καὶ τοῦ πλήθους κατὰ τὰς ὁδοὺς συντρέχοντος, παραγγέλλειν πᾶσι δέχεσθαι τὴν θεὸν εὐσεβῶς· παρεῖναι γὰρ αὐτὴν ἐξ Ὑπερβορέων ἐπ' ἀγαθῷ δαίμονι τῇ τε πόλει πάσῃ καὶ τῷ βασιλεῖ.* Itaque Medea non tantum Dianae effigiem fert sed ex Hyperboreis in Graeciam transtulisse dicitur; et quid Iphigeniae similius? Iam vero Dracontius l. l. talem Medeam finxit qualem in scriptoribus servatis reperire nusquam potui; etsi enim narrat fabulam de Iphigenia Taurica nomine mutato, tamen enarrationem incipit (v. 32):

Dives apud Colchos Phrixei velleris aurum
Pellis erat servata diu custode dracone

Hanc propter pelagi temerator primus Iason
Venerat ut rutilas subduceret arbore lanas.
Ut *Scytha* conspexit Graiam de littore puppim

e. q. s. Iason deinde qui solus ad terram transnatavit captivus in templum Dianae trahitur, sed Medea eum mactatura gladium a Venere commota retinet. Iason postea Aeetae filiam in matrimonium ducit et quattuor demum post annos cum uxore Graeciam repetit; non autem Corinthum sed Thebas venit ubi Creonti eiusque filiae a Medea pernicies paratur. Dubium igitur nullo modo esse videtur quin haec fabula Thebis orta et narrata sit; quod demonstratur etiam scholio ad Apollon. Rhod. III, 242: *Ἐπιμενίδης δέ φησι Κορίνθιον τῷ γένει τὸν Αἰήτην, μητέρα δὲ αὐτοῦ Ἐφύραν φησί. Διόφαντος δὲ ἐν τῇ ᾱ τῶν Ποντικῶν ἱστοριῶν Ἀντιόπην φησὶν Αἰήτου μητέρα.* (cfr. Eudoc. ed. Villois. p. 31 (ubi ex hoc schol. emendes) et p. 261).

His rebus viam Tauricam secundum fabulam quandam Argonautas demonstratum est secutos esse; nec mirum est. Nam coloniae quae in ora septentrionali et occidentali Ponti Euxini conditae sunt partim ex eodem tempore partim adeo ex tempore magis remoto originem duxerunt quam quae exstant in Asiae minoris ora septentrionali, nec non Hesiodo iam Ister notus erat (Theog. v. 339).

Sed praeter ea quae modo protulimus argumenta liceat addere testimonium arcessitum quidem ex additamento quodam quod mox fabulae nostrae adiectum est, sed tamen ita instructum ut pro via Scythica pugnare videatur: traditur enim Phineum tenuisse Halmydessum et demonstravisse Phrixo viam illam septentrionalem.[1]) Neque omittendus est locus carminis Orphici ubi v. 1052 (edit. Schneider.) legitur:

Φᾶσίς τ' εὐρυμενὴς ἀκαλαῤῥείτης τε Σαράγγης
τόν ῥα πλημμύρουσα διὰ χθόνος εἰς ἅλα πέμπει
Μαιῶτις καναχηδὸν ἑλειονόμου διὰ ποίης.

Deinde conferas schol. ad Apollon. Rhod. I, 256: *λέγεται γὰρ ὅτι τῆς Ἕλλης καταπεσούσης ἀγωνιῶντι τῷ Φρίξῳ κατὰ Διὸς βούλησιν ἐφθέγξατο θαρσύνων αὐτὸν ὁ κριὸς διασώζειν αὐτὸν εἰς τὴν Σκυθίαν;* et Diodor. IV, 44, 7: *ἀναχθέντας*

[1]) Schol. ad Apollon. Rhod. II, 178.

δ' αὐτοὺς ἐκ τῆς Θρᾴκης καὶ κομισθέντας εἰς τὸν Πόντον προσσχεῖν τῇ Ταυρικῇ.

Sed saepius videmus Scythiam et Colchidem inter se aut commutari aut vicinas esse; cuius rei testis est Diodorus IV, 45: *φασὶ γὰρ Ἡλίου δύο γενέσθαι παῖδας, Αἰήτην τε καὶ Πέρσην. τούτων δὲ τὸν μὲν Αἰήτην βασιλεῦσαι τῆς Κολχίδος, τὸν δ' ἕτερον τῆς Ταυρικῆς . . . καὶ Πέρσου μὲν Ἑκάτην γενέσθαι θυγατέρα . . . ἐμπειρίαν δὲ μεγάλην ἐν τούτοις (φαρμάκοις θανασίμοις) ἔχουσαν πρῶτον μὲν τὸν πατέρα φαρμάκῳ διαφθεῖραι καὶ διαδέξασθαι τὴν βασιλείαν, ἔπειτ' Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἱδρυσαμένην καὶ τοὺς καταπλέοντας ξένους θύεσθαι τῇ θεῷ καταδείξασαν, ἐπ' ὠμότητι διονομασθῆναι. μετὰ δὲ ταῦτα συνοικήσασαν Αἰήτῃ γεννῆσαι δύο θυγατέρας, Κίρκην τε καὶ Μήδειαν, ἔτι δ' υἱὸν Αἰγιαλέα*[1]) *κτλ.* Et c. 46: *τὸν . . . . Αἰήτην τὰ μὲν διὰ τὴν ἰδίαν ὠμότητα, τὰ δ' ὑπὸ τῆς γυναικὸς Ἑκάτης πεισθέντα προσδέξασθαι τὸ τῆς ξενοκτονίας νόμιμον. ἀντιπρασσούσης δὲ τῆς Μηδείας ἀεὶ μᾶλλον τῇ προαιρέσει τῶν γονέων, φασὶ τὸν Αἰήτην ὑποπτεύσαντα τὴν ἐκ τῆς θυγατρὸς ἐπιβουλὴν εἰς ἐλευθέραν αὐτὴν ἀποθέσθαι φυλακήν· τὴν δὲ Μήδειαν διαδρᾶσαν καταφυγεῖν εἴς τι τέμενος Ἡλίου κείμενον παρὰ θάλατταν. καθ' ὃν δὴ χρόνον τοὺς Ἀργοναύτας ἀπὸ τῆς Ταυρικῆς κομισθέντας νυκτὸς καταπλεῦσαι τῆς Κολχίδος εἰς τὸ προειρημένον τέμενος κτλ.* Praeterea Scythia dicitur saepius ubi Colchis cogitatur velut schol. ad Apollon. Rhod. I. 1292: *οὐδὲν γάρ σοι διεφέρετο ἐν Σκυθίᾳ ὑπὸ Ἡρακλέους ἡττῆσθαι*; schol. I, 1323: *Χάλυβες ἔθνος Σκυθίας, ὅπου ὁ σίδηρος γίνεται,* Chalybes vero sedent inter Sinopen et Colchidem, unde vides quam late pateat nomen Scythiae. Cfr. deinde etiam schol. ad Apollon. Rhod. II, 397, II, 1010 (Tibarenos esse gentem Scythicam!), IV, 131 Araxes flumen Scythicum vocatur. Haec quae undique possunt augeri sufficiant ut demonstretur Scythiam significare totum fere litus Ponti Euxini excepta regione inter Carambin promontorium et Bosporum Thracicum sita; quo nisi accuratius definiens nomen velut *Ταυρική* accedat, ex sola voce Scythia

---

[1]) Unde simul quomodo effectum sit elucet ut fabulae de Iphigenia et Medea conglutinatae videantur esse.

de via quam secuti sint Argonautae nihil posse concludi perspicitur.

Iam igitur incipiamus ipsam expeditionem. Sed unde? Nam non ubique Iolcus dicitur; Stephanus enim Byz. p. 149, 6 haec praebet: *Ἀφεταί, πόλις τῆς Μαγνησίας. Ἑλλάνικος: ὅτι ἐντεῦθεν δευτέραν ἄφεσιν ἡ Ἀργὼ ἐποιήσατο ἢ ὅτι ἐκεῖ οἱ Ἀργοναῦται τὸν Ἡρακλέα κατέλιπον. κεῖται δὲ ἐν Παγασιτικῷ κόλπῳ.* (Quo cum loco conferatur schol. ad Apollon. Rhod. I, 1289: *Ἡσίοδος ἐν τῷ Κήυκος γάμῳ ἐκβάντα φησὶν αὐτὸν* (Herculem) *ἐφ' ὕδατος ζήτησιν τῆς Μαγνησίας περὶ τὰς ἀπὸ τῆς ἀφέσεως αὐτοῦ Ἀφετὰς καλουμένας ἀπολειφθῆναι.* Hesiodum sequuntur Herodotus VII, 193 et Strabo IX, 436: *ἡ δ' Ἰωλκὸς κατέσκαπται μὲν ἐκ παλαίου, ἐντεῦθεν δ' ἔστειλε τὸν Ἰάσονα καὶ τὴν Ἀργὼ Πελίας. ἀπὸ δὲ τῆς ναυπηγίας τῆς Ἀργοῦς καὶ Παγασὰς λέγεσθαι μυθεύουσι τὸν τόπον, οἱ δὲ πιθανώτερον ἡγοῦνται τοὔνομα τῷ τόπῳ τεθῆναι τοῦτο ἀπὸ τῶν πηγῶν, αἳ πολλαί τε καὶ δαψιλεῖς ῥέουσι· πλήσιον δὲ καὶ Ἀφέται ὡς ἂν ἀφετήριόν τι τῶν Ἀργοναυτῶν.*) Aphetas esse locum fabulosum etymologiae causa inventum iam doctus Apollonius vidit (I, 591); sed ut de situ loci certiores fiamus primum audiamus Apollonium qui postquam dixit Pagasarum portum relictum esse et continuatam expeditionem pergit I, 582:

ἔδυνε δὲ Σηπιὰς ἄκρη,
φαίνετο δ' εἰναλίη Σκίαθος, φαίνοντο δ' ἄπωθεν
Πειρεσιαὶ Μάγνησά θ' ὑπεύδιος ἠπείροιο
ἀκτὴ καὶ τύμβος Δολοπήιος. ἔνθ' ἄρα τοίγε
ἑσπέριοι ἀνέμοιο παλιμπνοίῃσιν ἔκελσαν
καί μιν κυδαίνοντες ὑπὸ κνέφας ἔντομα μήλων
κεῖαν ὀρινομένης ἁλὸς οἴδματι. διπλόα δ' ἀκταῖς
ἤματ' ἐλινύεσκον, ἀτὰρ τριτάτῳ προέηκαν
νῆα, τανυσσάμενοι περιώσιον ὑψόθι λαῖφος.
τὴν δ' ἀκτὴν Ἀφέτας Ἀργοῦς ἔτι κικλήσκουσιν.

Cleon qui auctore scholiasta hoc loco fons habendus est, parum distincte videtur significasse Aphetas; primum enim iam promontorium Tissaeum (I, 568), deinde promontorium Saepias et insula Sciathus ab Argonautis visa erant, tum subito Piresiae adspiciuntur et Magnesa (schol. Magnesia), quae igitur urbes in orientali Magnesiae ora secundum Apollonium videntur conlo-

candae esse; tamen ex ipsius Apollonii verbis (I, 37) non in peninsula illa sed in continente Piresias conlocatas esse adparet:

Πειρεσιὰς ὄρεος Φυλληίου ἀγχόθι.

Itaque ex Apollonio non potest erui urbis vel loci vel orae Aphetarum situs. Neque Strabo verum tradidit Aphetas vicinas fuisse Pagasis; qui quidem error haud dubie e fabula de Argonautis originem duxit, cum ex utroque loco Argonautae dicantur initium expeditionis fecisse. Herodotus vero VII, 193 *ἐν τῷ κόλπῳ* fuisse Aphetas testatus est, ubi Hercules relictus sit; hoc recte eum statuisse confirmatur eo quod postea nomen fixum est ad Tissaeum promontorium tempore Xerxis. Idem fere tradidit Pherecydes, apud Apollodorum I, 9. 19. 3: *Φερεκύδης δὲ αὐτον* (Herculem) *ἐν Ἀφεταῖς τῆς Θεσσαλίας ἀπολειφθῆναι λέγει.*

Iolcus autem videtur totam oram, non urbem significare; cfr. Strabo IX, 436: *καλεῖται δὲ καὶ συνεχὴς αἰγιαλὸς Ἰωλκός*; tum enim explicatur quomodo fieri potuerit ut et Iolcus et Pagasae nominarentur e quibus Argonautae navigationem ingressi sint. Iam veteres ipsi Pagasarum nomen e fabula nostra derivare et explicare studuerunt; legitur enim in Hygini poet. astron. c. 37: ‚hanc navim factam Pindarus ait in Magnesia oppido cui Demetrias est nomen. Callimachus autem in eisdem finibus ad Apollinis Actii templum quod Argonautae proficiscentes statuisse existimantur in eo loco qui Pagasae vocatur ideo quod navis Argo ibi primum compacta dicitur quod est Graece *παγᾶσαι* (sic!).'[1]) Callimachus qui hic laudatus est saepius commemoratur de rebus ad fabulam nostram spectantibus, et iure quidem; nam ipse scripsit de Argonautis et in peculiari quidem carmine. Sed quod audacissime Schneider fragmentorum Callimachi editor (Callim. II, p. 78 sqq.) ausus est conicere minime probo: totum secundum Aetiorum librum solum reditum Argonautarum complexum fuisse neque quidquam aliud, eodem modo dissimile est veri, ac quod opinatus est Schneider, priorem partem fabulae continuo carmine non esse tractatam.

Princeps omnium et dux Iason fuit; sunt tamen qui tradi-

---

[1]) An scribendum est *πεπῆχθαι*? cfr. schol. ad Apollon. Rhod. I, 238: *ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεπῆχθαι τὴν Ἀργώ,* et Tzetz. in Hesiodi Scut. p. 149 (Heins.): *τόπος ὠνομασθόμενος παρὰ τὸ ἐκεῖ πεπῆχθαι Ἀργώ.*

derint non Iasonem ipsum sed Herculem principatum tenuisse, velut Diodorus IV, 41: *τοὺς δ' οὖν ἀριστεῖς συνελθόντας ἑλέσθαι σφῶν αὐτῶν στρατηγὸν Ἡρακλέα, προκρίναντας κατ' ἀνδρείαν.* Diodorus quem memorabilia et mirabilia narrasse et iam supra vidimus et infra videbimus, dignus hanc ob rem est qui magis respiciatur. Quod ad eam operis eius partem adtinet ubi de fabula nostra agitur constat fontem esse Dionysium Mytilenaeum qui c. a. 100 a. Chr. n. floruit; de quo ne acta agam quoniam Welcker. de cycl. ep. p. 82 et Hachtmannus, de Dionysio Mytilenaeo s. Scytobrachione, bene exposuerunt, nil quod addam habeo: recte enim suspicatus est Hachtmannus duos Argonauticon libros fuisse. Sed liceat explicare quomodo mihi istos duos libros in ipsius Diodori textu indagasse videar; complectitur Dionysii de Argonautis expositio libri quarti cc. XIII, inde a. c. 40 usque ad c. 53; unusquisque vero quanto Dionysius Euemerismo qui dicitur usus sit animadvertet et quantopere premat mysteria Samothracia: id quod ansam praebet secludendorum librorum. Continuit liber prior expeditionem ad Colchos usque et res apud eos gestas, quibus subiungitur periculum maris precibus Orphei et succurrente Glauco superatum, quod statim cum essent in alto mari eminebat, (ex Glauci oratione digna sunt quae legas haec (c. 48): *προειπεῖν (Γλαῦκον) μὲν Ἡρακλεῖ περὶ τῶν ἄθλων καὶ τῆς ἀθανασίας, τοῖς δὲ Τυνδαρίδαις, ὅτι προσαγορευθήσονται μὲν Διόσκοροι, τιμῆς δ' ἰσοθέου τεύξονται παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις. καθόλου δ' ἐξ ὀνόματος προσφωνήσαντα πάντας τοὺς Ἀργοναύτας εἰπεῖν ὡς διὰ τὰς Ὀρφέως εὐχὰς θεῶν προνοίᾳ φανεὶς αὐτοῖς σημαίνει τὰ μέλλοντα γενήσεσθαι. συμβουλεύειν οὖν αὐτοῖς ὅταν τῆς γῆς ἅψωνται τὰς εὐχὰς ἀποδοῦναι τοῖς θεοῖς, δι' οὓς τετεύχασι δὶς ἤδη τῆς σωτηρίας·* quae verba luculentissime quod supra de Euemerismo et mysteriis Samothraciis dictum est illustrant.); denique continuit reditum; et eo quidem modo institutus erat liber ut Hercules quae ad Troiam contra Laomedontem gessit ita in initio libri exstent et in fine ut de liberata Hesiona in capite, de capta urbe in exeunte libro dictum sit. Ultima prioris libri verba haec sunt: (c. 49) *τοὺς δ' Ἀργοναύτας φασὶν ἐκ τῆς Τρῳάδος ἀναχθέντας εἰς Σαμοθρᾴκην κομισθῆναι καὶ τοῖς μεγάλοις θεοῖς τὰς εὐχὰς ἀποδόντας πάλιν ἀναθεῖναι τὰς φιάλας εἰς τὸ τέμενος τὰς ἔτι καὶ νῦν διαμενούσας.* — Alter vero liber ea complexus

est quae fata erant Peliae eiusque cognatis quaeque post reditum ab Argonautis et Medea facta sunt; finis libri est in c. 52: *διόπερ ταύτας μὲν ὁρμῆσαι λέγεται (Πελίου θυγατέρας) στερίσκειν αὐτὰς τοῦ ζῆν, τὸν δὲ Ἰάσονα ..... δεικνύειν, ὡς ἐκ κακίας μὲν οὐδὲν ἥμαρτον, ἀκουσίως δὲ δι' ἀπάτην ἠτύχησαν.*

Diodorus ut de via Taurica minime dubia tradidit, de Hercule quoque enucleate demonstravit quo modo cum Argonautis coniunctus sit: ei Hercules socius est Argonautarum per totam expeditionem; intellegitur vero facillime Iovis filium additum esse propterea ut pugnam contra Troianos efficeret; quamvis enim ipsius Herculis vis atque indoles ut ubique princeps omnium esset postularet, tamen apud Diodorum in rebus apud Colchos gerendis Iasonem ducem fuisse videmus. Utrum vero Hercules ob eam causam quam modo e Dionysio Mytilenaeo didicimus scilicet propter bellum contra Laomedontem gerendum primum in fabulam nostram insertus sit, an alia exstet postea videbimus. Ceterum eodem fere modo Valerius Flaccus II, 445 sqq. inter expeditionem Argonautarum ab Hercule Hesionam esse liberatam tradidit; praeter hosce duos historia illa non invenitur tali modo exhibita; utrum vero Diodorum adhibuerit an alium Valerius occasio postea erit disquirendi.

Omisit Diodorus de quo nunc disputabimus adpulsum Argonautarum ad Lemnum, pro qua posuit Samothracen insulam mysteriis quorum celebrandorum causa videtur Dionysius Mytilenaeus composuisse Argonautica sua imprimis praeclaram. Elucet vero ex ipsius Diodori verbis quid precibus a magnis dis Argonautae impetrare studuerint; cfr. IV, 43: *ἐπιγενομένου δὲ μεγάλου χειμῶνος καὶ τῶν ἀριστέων ἀπογινωσκόντων τὴν σωτηρίαν, φασὶν Ὀρφέα τῆς τελετῆς μόνον τῶν συμπλεόντων μετεσχηκότα ποιήσασθαι τοῖς Σαμόθραξι τὰς ὑπὲρ τῆς σωτηρίας εὐχάς. εὐθὺς δὲ τοῦ πνεύματος ἐνδόντος κτλ.*, deinde c. 48, 5: *τοὺς δ' Ἀργοναύτας ... ἐκπλεῦσαι, καὶ μέσον ἤδη τὸ Ποντικὸν πέλαγος ἔχοντας περιπεσεῖν χειμῶνι παντελῶς ἐπικινδύνῳ. τοῦ δ' Ὀρφέως, καθάπερ καὶ πρότερον, εὐχὰς ποιησαμένου τοῖς Σαμόθραξι λῆξαι μὲν τοὺς ἀνέμους κτλ.* Quae verba docere videntur secundum Dionysii Scytobrachionis sententiam magnos deos Samothraces solere auxilium adferre nautis maris et procellarum vi ac periculis obrutis. Sententia Dionysii loco quodam

adfirmatur celebrato, schol. in Apollon. Rhod. I, 917: *τὰς τελετὰς λέγει τὰς ἐν Σαμοθράκῃ ἀγομένας, ἃς εἴ τις μυηθείη ἐν τοῖς κατὰ θάλασσαν χειμῶσι διασώζεται. καὶ Ὀδυσσέα δέ φασι μεμυημένον ἐν Σαμοθράκῃ . . . . καὶ Ἀγαμέμνονα δέ φασι μεμυημένον ἐν ταραχῇ ὄντα πολλῇ κατὰ Τροίαν.* Ex hisce rebus posset aliquis suspicari Iasonem quoque quem demonstravit sagacissime O. Mueller Orch. p. 265 sqq. et p. 450 sqq. eundem deum vel idem numen esse atque Cadmum in mysteriis Samothraciis cultum, deum esse nautis potissimum succurrentem; sed ne hisce de rebus lubricis de quibus quis ingeniose doctissimeque exposuerit nemo nescit, nimis temporis conteram, totam de mysteriis quaestionem omittere quam coniciendo disquirere et explicare malo.

Diodorus igitur adpulsum heroum ad Lemnum et res ab eis hic gestas omisit. Iam vero si O. Mueller Orch. p. 310 fabulam Tauricam genuinam sedem habuisse opinatur in hac ipsa insula, quo simul contenditur mythum de Medea Taurica esse Lemnium, ex eo quod Diodorus nec non Dracontius qui tamen de ista Medeae forma luculentissime locuti sunt ne verbum quidem de Lemno addunt, falsa virum doctum opinatum esse adparet. Quam sententiam Muelleri aliis ex causis iam refutavit Movers. de Phoen. II, 2, p. 105, et recte quidem; nam neque vestigia indagari possunt Iphigeniae vel Medeae a Lemniis cultae neque talia argumenta de Samothrace vel Imbro tradita sunt; posset enim aliquis opinari si non Lemnum genuinam sedem huius fabulae fuisse statuendum esset, fieri posse ut Samothrace vel Imbros putandae sint, quippe quae omnes arte inter se cohaereant. Contra autem Dracontius qui Iasonem Medeamque Thebas redeuntes fecit, Thebas, Diodorus Iolcum dicunt a Medea esse translatum Dianae cultum; adparet igitur Dianae Tauricae cultum a Medea inlatum esse ex quodam loco extra Graeciam sito; consulto dico ‚a Medea', de Iphigenia enim cum Graeca sit Graecae originis speciem fabula prae se fert, Medea autem nunquam antea in Graecia fuisse dicitur, id quod summum inter fabulas discrimen est. Iam vero hac ex re concludi posset Medeam Tauricam de Iphigenia fabulae illam significasse rationem qua alienae quaedam res mytho Graeco admixtae essent, praesertim cum non deficiant qui Iasonem quoque barbarum esse velint, et Thebis quo Dracontius tradidit Medeam rediisse co-

loniam Phoenicum antiquissimo iam tempore fuisse constet, de qua vide quae sagacissime disposuit Brandis in Herm. II, 259 sqq. Sed cavendum est ne concludamus cum non de Medea quidem sed de Aeeta patre Medeae exstent testimonia originis Graecae: antiquissimum Eumeli testimonium est (fr. 2 edit. Markscheffel.):

ἀλλ' ὅτε δ' Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο
Ἠελίου τε καὶ Ἀντιόπης, τότε δ' ἄνδιχα χώρην
δάσσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός·
ἣν μὲν ἔχ' Ἀσωπὸς, ταύτην πόρε δίῳ Ἀλωεῖ
ἣν δ' Ἐφύρη κτεάτισσ' Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν.
Αἰήτης δ' ἄρ ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν,
εἰσόκεν αὐτὸς ἵκοιτ' ἢ ἐξ αὐτοῖό τις ἄλλος
ἢ παῖς ἢ υἱωνός. ὁ δ' ᾤχετο Κολχίδα γαῖαν.

In Epimenidis carmine subditicio *Ἀργοῦς ναυπηγία τε καὶ Ἰάσονος εἰς Κόλχους ἀπόπλους* inscripto similia tradita erant: cfr. schol. ad Apollon. Rhod. III, 242: *Ἐπιμενίδης δέ φησι Κορίνθιον τῷ γένει τὸν Αἰήτην, μητέρα δὲ αὐτοῦ Ἐφύραν φησί.* Denique Diophantus secundum schol. ad Apollon. III, 242 et Eudoc. p. 31 (ed. Villois.) — quae ex scholio illo corrigenda est — Antiopen matrem Aeetae nominaverunt (*ἐν τῇ ᾱ τῶν Ποντικῶν ἱστοριῶν*), eandem Antiopen ut videtur ac matrem Boeoti, cfr. Hygin. f. 157 (editionis M. Schmidt. p. 13, 13). Haec omnia ad Corinthum spectant ubi fabula de Medea principalem locum habebat, sed arte conexa cum cultu Iunonis. De alio quodam cultu legimus in schol. ad Pindar. Ol. XIII, 74: *Μηδείας μέμνηται ὅτι ἐν Κορίνθῳ κατῴκει καὶ ἔπαυσε Κορινθίους λιμῷ κατεχομένους θύσασα Δήμητρι καὶ νύμφαις Λημνίαις*, ubi et cum Cerere et cum nymphis Lemniis coniuncta est; quamquam vero unicus hic locus est ex quo Medeae sacrificia ad Lemnum spectasse intellegitur, tamen minime est repudiandus, cum qui Thebis et Corinthi exstabant cultus cohaererent, Thebis autem Cererem cultam esse constet; quoniam deinde Thebis Cabiris quoque sacrificia oblata sunt non mirum esse videtur quod idem Corinthi occurrit; cfr. Curtius de Pelopon. II, 514 sqq. Ad Thebas enim lucus Cereris et Proserpinae Cabiriae, praeterea templum ipsorum Cabirorum erant et Thebae dicebantur Proserpinae loco *ἀνακαλυπτηρίων* a Iove dono datae esse. Quibus rebus perspicitur Medeam ‚*θύσασαν Δήμητρι καὶ νύμφαις Λημνίαις*' adtribuendam esse Minyis.

Quomodo autem factum sit ut Medea sacerdos sit Dianae Tauricae mihi videtur inexplicabile esse; nam cum huius numinis cultus postulasse videatur antiquissimo tempore ut homines mactarentur, cuius rei ipsa Iphigenia testis est, Medea iam propterea quod Iunonis sacerdos fuisse dicitur contrarium potissimum significare videtur; ipse praeterea Diodorus hoc testatur IV, 46: *τὴν δὲ Μήδειαν ἱστοροῦσι μαθεῖν παρά τε τῆς μητρὸς καὶ τῆς ἀδελφῆς ἁπάσας τὰς τῶν φαρμάκων δυνάμεις, προαιρέσει δ' ἐναντιωτάτῃ χρῆσθαι. διατελεῖν γὰρ τοὺς καταπλέοντας τῶν ξένων ἐξαιρουμένην ἐκ τῶν κινδύνων, καὶ ποτὲ μὲν παρὰ τοῦ πατρὸς αἰτεῖσθαι δεήσει καὶ χάριτι τὴν τῶν μελλόντων ἀπόλλυσθαι σωτηρίαν, ποτὲ δ' αὐτὴν ἐκ τῆς φυλακῆς ἀφιεῖσαν προνοεῖσθαι τῆς τῶν ἀτυχούντων ἀσφαλείας.* Sed cui minime consentit Dracontius Med. v. 176:

impia iam Colchis iam saevior ara Dianae
coeperat ostendi, iam tunc mandante tyranno
ecce trahebatur ceu taurus pulcher Iason
quem sequitur Medea nocens urguetque ministros
nudato mucrone furens.

Una quantum video exstaret explicandi ratio, si posset locus reperiri ubi Dianae et Iunonis cultus ita essent coniuncti ut Iunonis sacerdotem simul Dianae Tauricae sacrificiis perfunctam esse videremus ut modo de Cerere et Iunone vidimus; talis vero locus quantum scio nusquam fuit in Graecia; Dianam enim Thraces celebrabant, Troezenii, Spartani et inter omnes maxime Arcades; in Boeotia autem rarius invenitur: Thebis templum fuit Dianae Eucliae, cfr. Paus. IX, 17, 1 *πλησίον δὲ Ἀρτέμιδος ναός ἐστιν Εὐκλείας*, de qua videndus est Plut. in Aristid. c. 20: *τὴν δ' Εὐκλείαν οἱ μὲν πολλοὶ καὶ καλοῦσι καὶ νομίζουσιν Ἄρτεμιν, ἔνιοι δέ φασιν Ἡρακλέους μὲν θυγατέρα καὶ Μυρτοῦς γενέσθαι, τῆς Μενοιτίου μὲν θυγατρὸς, Πατρόκλου δ' ἀδελφῆς, τελευτήσασαν δὲ παρθένον ἔχειν παρά τε Βοιωτοῖς καὶ Λοκροῖς τιμάς. Βωμὸς γὰρ αὐτῇ καὶ ἄγαλμα κατὰ πᾶσαν ἀγορὰν ἵδρυται καὶ προθύουσιν αἵ τε γαμούμεναι καὶ οἱ γαμοῦντες.*

Ista una tantum Diana Boeotis nota fuit; neque vero Taurica est. An cogitandum de Corintho? sed hic ne templum quidem Dianae fuisse videtur; cfr. Paus. II, 3, 5: *ἐν ἀριστερᾷ δὲ τῆς ἐσόδου (λουτροῦ τινος) Ποσειδῶν καὶ μετ' αὐτὸν Ἄρτεμις θηρεύουσα ἕστηκεν.* Neque vero hanc neque Dianam Eucliam

eandem esse dicemus atque Tauricam; istam autem constat cultum habuisse quattuor locis ut taceam de Diana Brauronia, quoniam quod ad nostram rem spectat neque Brauron vel Sparta, neque Cappadocia vel Lydia vel adeo Laodicea huc pertinent; sunt hi: Aulis, Samos, Icaria, Amphipolis (cfr. Mueller. Dor. I, 387); sed ne his quidem locis uti possumus ad explicandam miram illam Medeae formam mythicam. Qua de causa probabimus quod superest: studio ipsorum mythographorum et consilio factum esse ut duae fabulae in unam Medeam conlatae sint, cuius rei causa fuisse videtur quod et Colchis et Scythia commutari solebant ut supra vidimus, et mox exstitit fabularum coniungendarum et ut omnes mythi simpliciores redderentur contrahendarum cupido; cuius studii ipse Diodorus qui ubique contrahere fabulas conatur velut fabulam de expeditione Herculis contra Laomedontem atque Argonautarum fabulosam expeditionem et permulta alia, testis est optimus: IV, 44, 5: *καθόλου γὰρ τοὺς παλαιοὺς μύθους οὐχ ἁπλῆν οὐδὲ συμπεφωνημένην ἱστορίαν ἔχειν συμβέβηκε. διόπερ οὐ χρὴ θαυμάζειν ἐάν τινα τῶν ἀρχαιολογουμένων μὴ συμφώνως ἅπασι τοῖς ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι συγκρίνωμεν.* Itaque Medeam Tauricae Dianae sacerdotem separandam esse dicemus a fabula de Iasone ut postea additam a mythographis. Sed non dico de ea Medea Scythica quae in fabula de Argonautarum itinere Scythico de quo supra diximus adparet; hic enim ipsa fabula nostra tota fluctuavit et pro Colchide posita est Scythia; itaque id unum tantum moneo, Medeam non fuisse formam quandam Iphigeniae vel sacerdotem Dianae, item vero a fabula de Iasone ea omnia secernenda esse quae sequantur ex hoc Medeae sacerdotio, velut quod Tzetzes narravit de nuptiis Medeae et Achillis: schol. ad Lycophron. v. 174: *τὸν Ἀχιλλέα λέγει, τὸν ἐν Ἅιδῃ γῆμαι μέλλοντα τὴν Μήδειαν. μυθεύουσι γάρ ὅτι ἐν Μακάρων Νήσοις αὐτὴν ἔγημε κτλ.*

Minus arte Medea cum fabulis de aliis deabus conexa et antiquo iam tempore est et recentiore; cuius rei sufficiat unum adicere exemplum ex multis: Athenodorus incertae aetatis scriptor Eretriensis in libr. VIII hypomnemat. (in Ptolem. Hephaest. libr. V, ap. Photium cod. 190 p. 150, 6 ed. Bekk.) recentiorem ut videtur fabulam tradidit: *Ἀθηνόδωρος ἐν ὀγδόῳ Ὑπομνημάτων φησὶ Θέτιν καὶ Μήδειαν ἐρίσαι περὶ κάλλους ἐν Θεσσαλίᾳ καὶ*

κριτὴν γενέσθαι Ἰδομενέα, καὶ προσνεῖμαι Θέτιδι τὴν νίκην. Μήδειαν δ' ὀργισθεῖσαν εἰπεῖν: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ ἐπαράσασθαι αὐτῷ μηδέποτε ἀλήθειαν εἰπεῖν, ὥσπερ ἐπὶ τῆς κρίσεως ἐποίησε. καὶ ἐκ τούτου φησὶ τοὺς Κρῆτας ψεύστας νομισθῆναι. παρατίθεται δὲ τοῦτο ἱστοροῦντα ὁ Ἀθηνόδωρος Ἀντίοχον ἐν δευτέρῳ τῶν κατὰ πόλιν μυθικῶν. Et haec hactenus.

Adpulsum Argonautarum ad Lemnum praeter Diodorum omisit Theocritus XIII, 29:

κοίλαν δὲ καθιδρυθέντες ἐς Ἀργώ
Ἑλλάσποντον ἵκοντο Νότῳ τρίτον ἆμαρ ἀέντι,

tertio igitur die iam ad Hellespontum perventum esse dixit; animadvertendum autem hic est non fuisse poetae consilium omnia quae inter expeditionem gesta essent enarrare cum de Hyla scribere propositum sibi haberet. Eodem modo non licet nimis urgere quod Pindarus Pyth. IV redeuntes demum Argonautas Lemnum venisse finxit; cum enim e stirpe Iasonis et Hypsipylae insulae reginae is originem duxisset de quo agendum poetae erat, convenientius ei visum est adpulsum ad Lemnum in fine totius navigationis conlocare. Similia tradidit Myrsilus qui scripsit Lesbica, cfr. schol. ad Apoll. Rhod. I, 615: τῶν δὲ ἄλλων ἱστορούντων ὅτι κατὰ χόλον τῆς Ἀφροδίτης αἱ Λημνιάδες δύσοσμοι ἐγένοντο, Μυρσίλος ἐν πρώτῳ Λεσβικῶν διαφέρεται καί φησι τὴν Μήδειαν παραπλέουσαν διὰ ζηλοτυπίαν ῥῖψαι εἰς τὴν Λῆμνον φάρμακον, καὶ δυσοσμίαν γενέσθαι ταῖς γυναιξίν. Inter tragicos poetas Aeschylus certe tragoediam Hypsipylen et si recte coniecerunt viri docti Λήμνιοι titulo in catalogo tradito in Λήμνιαι mutato, Lemniades quoque composuit; praeterea Sophocles tragoediam de Lemniadibus scripsit et Euripides Hypsipylen. Inter comicos de Lemniadibus scripserunt Aristophanes, Nicochares, Antiphanes, Diphilus. Denique commemorandi sunt Ovidius qui hanc fabulae nostrae partem tetigit in Heroid. VI et Statius Thebaid. V, 397 sqq., Hygin. f. 15 et 120, Nicolaus Damascenus in excerpt. Constantin. de virt. Praeterea omnia Argonautica exceptis scriptoribus supra adlatis et scholia passim de ea agunt.

Primum nunc nobis paucis verbis agendum est de eis rebus quae in insula gestae esse dicuntur ante Argonautarum adventum. Quae de hac re tradita sunt bene disposuit Meziriacus

ad Ovid. II, p. 39 sqq. Apollodorus qui in bibliotheca sua, certo quantum ad nostram fabulam, narrationes solitas atque circumlatas potissimum exhibet, de his rebus breviter exposuit I, 9. 17. 1: *ἔτυχε δὲ ἡ Λῆμνος ἀνδρῶν τότε οὖσα ἔρημος, βασιλευομένη δὲ ὑπὸ Ὑψιπύλης τῆς Θόαντος δι' αἰτίαν τήνδε. αἱ Λήμνιαι τὴν Ἀφροδίτην οὐκ ἐτίμων· ἡ δὲ αὐταῖς ἐμβάλλει δυσοσμίαν, καὶ διὰ τοῦτο οἱ γήμαντες αὐτὰς ἐκ τῆς πλησίον Θρᾴκης λαβόντες αἰχμαλωτίδας συνευνάζοντο αὐταῖς. ἀτιμαζόμεναι δὲ αἱ Λήμνιαι τούς τε πατέρας καὶ τοὺς ἄνδρας φονεύουσι· μόνη δὲ ἔσωσεν Ὑψιπύλη τὸν ἑαυτῆς πατέρα κρύψασα Θόαντα.* Videtur Apollodorus vel fons eius sumpsisse haec e tragicorum poetarum enarrationibus; nam de odore illo in Argonauticis nusquam dictum est. Huius vero causae adferuntur diversae: cfr. Apollodori verba modo adlata: *αἱ Λήμνιαι τὴν Ἀφροδίτην οὐκ ἐτίμων*; contra legas Valerii Flacci II v. 98 sqq.:

Veneris stat frigida semper
ara loco meritas postquam dea coniugis iras
horruit et tacitae Martem tenuere catenae,

et Mythographum III quem edidit Bode p. 231: 'dicitur etiam cum Venere Mars furtim concubuisse, quod Sol videns Vulcano prodidit. Ille adamantis catenis eos coeuntes ligans diis omnibus turpiter ostendit iacentes. Illa dolens quinque Solis filias Pasiphaen, Medeam, Phaedram, Circen et Dircen detestabili amore succendit.' Idem tradidit Myrsilus in schol. ad Apollon. Rhod. I, 615 quem locum modo exscripsi et Antigonus paradox. 130 qui sequitur Myrsilum. Huius fabulae causam recte mihi Mueller Orch. p. 302 ex insulae natura explicasse videtur, de qua videndus est Thucydid. in libr. II, c. 47. Veteres autem odorem ipsum variis modis interpretatos esse si videmus, quid miri? Eustathius *τὴν κατὰ στόμα δυσωδίαν*, Dio Chrysostomus *Ἀφροδίτην διαφθεῖραι τὰς μασχάλας* dixit, de quibus rebus disposuit quem vide Mezir. ad Ovid. II, 42. Serio denique adfirmavit Myrsilus (schol. ad Apollon. I, 615): *εἶναί τε μέχρι τοῦ νῦν κατ' ἐνιαυτὸν ἡμέραν τινά, ἐν ᾗ διὰ τὴν δυσωδίαν ἀπέχειν τὰς γυναῖκας ἄνδρα τε καὶ υἱεῖς.*

Lemniades igitur interfecerant omnes viros excepta Hypsipyle, quae patrem Thoantem servavisse dicitur. Sciendum autem est fugam Thoantis in Scythiam Tauricam primum

quantum hodie videre possumus enarratam esse a Valerio Flacc. II, 300:

ille procul trunca fugit anxius alno
Taurorumque locos delubraque saeva Dianae
advenit;

praeterea ab Hygino (f. 15): ‚At Lemniades eiusdem Veneris impulsu coniuratae genus virorum omne quod ibi erat interfecerunt praeter Hypsipylen quae patrem suum Thoantem clam in navem imposuit, quem tempestas in insulam Tauricam detulit.' Videmus igitur hic quoque artificio et studio fabulas duas esse commixtas et admodum recenti tempore. Immo sunt testimonia Thoantem in ipsa insula Lemno mansisse, cfr. Apollodor. bibl. I, 9. 17. 2: *μόνη δὲ ἔσωσεν Ὑψιπύλη τὸν ἑαυτῆς πατέρα κρύψασα Θόαντα*, quocum compares eiusdem scriptoris bibl. III, 6. 4. 2: *αἰσθόμεναι γὰρ αἱ Λήμνιαι ὕστερον Θόαντα σεσωσμένον ἐκεῖνον μὲν ἔκτειναν, τὴν δὲ Ὑψιπύλην ἀπεμπόλησαν.* Alii alia tradunt, velut Apollonius Rhodius I, 620:

οἴη δ' ἐκ πασέων γεραροῦ περιφείσατο πατρὸς
Ὑψιπύλεια Θόαντος, ὃ δὴ κατὰ δῆμον ἄνασσεν.
λάρνακι[1] *δ' ἐν κοίλῃ μιν ὕπερθ' ἁλὸς ἧκε φέρεσθαι*
αἴ κε φύγῃ. καὶ τὸν μὲν ἐς Οἰνοίην ἐρύσαντο
πρόσθεν, ἀτὰρ Σίκινόν γε μεθύστερον αὐδηθεῖσαν
νῆσον, ἐπακτῆρες, Σικίνου ἄπο,

quae sua mutuatus est poeta a Theolyto teste scholiasta, qui I, 623 pergit: *ὅτι δὲ ἐνθάδε (εἰς Οἰνοίην) Θόας ἐσώθη καὶ Κλέων ὁ Κουριεὺς ἱστορεῖ καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός.* Denique Statius Thebaid. V, 486 sq. scripsit:

fama subit portus, vectum trans altum Thoanta
fraterna regnare Chio,

quod idem tradidit Mythogr. I, 133 (Bod.). Quanto igitur magis cavendum est ne ex Thoantis fuga in terram Tauricam, tam recenti tempore ficta, coniciendo concludamus de propagata Taurica fabula, quae inde a Lemno in Scythiam Tauricam vel ut distinctius loquar ad Chersonesum Tauricam progressa esse visa est Muellero, praesertim cum contra ad Chersonesum fabula quaedam genuina fuisse videatur recentiore demum tempore

---

[1]) Cfr. Forchhammer. Hellen. p. 58.

cum Graeco de Iphigenia commixta mytho, de qua cfr. Herodot. IV, 103, Ovid. ex Pont. III, 2, 45; Lucian. Toxar. 1 sqq.

Iam videamus de Argonautis Lemnum petentibus; duae in Lemno insula urbes fuisse dicuntur, Myrina et Hephaestia (cfr. schol. ad Apollon. Rhod. I, 601). Myrinae autem omnes hae fabulae sedem habuere, et ipsa urbs nomen duxit a Myrina uxore Thoantis, filia Crethei, quae originem urbis indicare videtur: Cretheus enim frater Athamantis erat; cfr. Mueller. Orch. p. 301 sq. Antiquissimos incolas fuisse testatur Strabo VII. 492 Sinties gentem Thracicam; de eisdem loquitur Apollonius I, 608 et Hellanicus (schol. ad Apollon. Rhod. ad hunc locum). Contra in hoc ipso scholio legitur: *Σιντηὶς ἡ Λῆμνος, Τυρσηνοὶ γὰρ αὐτὴν πρῶτοι ᾤκησαν βλαπτικώτατοι ὄντες.*

Sinties igitur Tyrrheni adpellantur; Tyrrhenos autem testatur Herodotus IV, 145 e Lemno expulisse *τῶν ἐκ τῆς Ἀργοῦς ἐπιβατέων παίδων παῖδας*, denique ut difficultates quam maxime quasi augeantur legitur apud Athenaeum VII, 47, p. 296: *Πόσσις δ' ὁ Μάγνης ἐν τρίτῳ Ἀμαζονίδος τῆς Ἀργοῦς φησι δημιουργὸν γενέσθαι τὸν Γλαῦκον καὶ κυβερνῶντα αὐτὴν, ὅτε Ἰάσων μετὰ τῶν Τυῤῥηνῶν ἐμάχετο, μόνον ἄτρωτον γενέσθαι ἐν τῇ ναυμαχίᾳ· κατὰ δὲ Διὸς βούλησιν ἐν τῷ τῆς θαλάττης βυθῷ φανῆναι καὶ οὕτως γενέσθαι θαλάττιον δαίμονα, ὑπὸ μόνου τε Ἰάσονος θεωρηθῆναι.* Itaque Herodoti testimonium cum cogat ut Tyrrhenos filios filiorum Argonautarum ex insula depulisse credamus, vel ut verius loquar, Herodotum Tyrrhenorum ad Lemnum adpulsum post expeditionem Argonautarum posuisse, Iasonem adparet non potuisse cum Tyrrhenis secundum fabulam genuinam pugnam committere. Sed non licet quod ad Possis pertinet enarrationem de aliis cogitare Tyrrhenis atque Lemniis, etiamsi Glaucus quem Possis commemorat tum demum solet adferri ubi de Hercule relicto sermo est, et Tyrrheni compluribus locis inveniuntur praeter Lemnum (cfr. Apollon. Rhod. I, 1310). Nam quamquam ei Tyrrheni de quibus loquimur Pelasgici nominari solent (cfr. Mueller. Orch. p. 301), discernendi tamen sunt a Pelasgis Thessalicis de quibus legimus apud Apollodorum, I, 9. 18. 1: *ἀπὸ Λήμνου δὲ προσίσχουσι Δολίοσιν ὧν ἐβασίλευε Κύζικος. οὗτος αὐτοὺς ὑπεδέξατο φιλοφρόνως. νυκτὸς ἀναχθέντες ἐντεῦθεν καὶ περιπεσόντες ἀντιπνοίαις πάλιν τοῖς Δολίοσι προσίσχουσιν.*

οἱ δὲ νομίζοντες Πελασγικὸν εἶναι στρατόν (ἔτυχεν γὰρ ὑπὸ Πελασγῶν συνεχῶς πολεμούμενοι) μάχην τῆς νυκτὸς συνάπτουσιν ἀγνοοῦντες πρὸς ἀγνοοῦντας. Recte igitur Possis narrationem concluditur a genuina fabulae nostrae forma esse secludendam, cum cognitum sit esse ortam recentiore tempore, id quod ex ipsis quibus Possis utitur verbis licet suspicari, Euemerismum magnopere redolentibus; sed firmatur testimonio quod praebet Conon c. 41: οὐδὲ γὰρ ἦν Κυζίκῳ διάδοχος, ὕστερον δὲ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν Κυζίκου μετανέστησαν (scil. Pelasgi Thessalici) καὶ Τυῤῥηνοὶ τὴν Χεῤῥόνησον ἔσχον (cfr. Mueller. Orch. p. 444 sqq.). Iam igitur videmur ut ad Sinties redeamus coacti esse si de antiquissimis Lemniis omnino agendum esse putas neque nescire mavis.

Myrinae autem cum fabula fixa neque dubium sit quin hic cum mysteriis Samothraciis sit coniuncta, si tempus posset inveniri quo ipsa urbs condita videretur esse, adfirmare liceret quando fabula de Argonautis Lemnum petentibus orta sit. Sed non potest indagari; nam si Tyrrhenos Minyas ex insula depulisse statuamus c. a. 90 post excidium Troiae,[1] et Herodoti testimonio qui τῶν ἐκ τῆς Ἀργοῦς ἐπιβατέων παίδων παῖδας dixit depulsos esse utamur, adparet Myrinam conditam esse post Troiae excidium; id quod cavendum est ne probemus, cum Euneus Iasonis et Hypsipylae filius in ipsa de bello Troiano fabula pluries ab Homero commemoretur.

Diximus fieri posse ut Iason deus fuisse putandus sit Samothracius qui precibus mortalium commotus auxilium adferret in periculis maris; hanc coniecturam adfirmare putares quod filius eius et Hypsipylae Euneus (εὔνηος) nominatur, qui in genuina fabula unicus Iasonis et reginae filius fuisse videtur; nam qui praeter eum commemorantur Nebrophonus et Thoas ex posterioris temporis additamentis sunt, unus cum res Bacchicae cum Iasone coeptae sunt coniungi, cuius sententiae ipsum nomen testimonium praebet (Νεβροφόνος), alter Thoas explicatur ex more Graeco filiis dare quibus avi utebantur nomina; ceterum Nebrophonus primum apud Apollodorum (I, 9. 17. 2), Thoas autem iam in Iliade XXIII, 745 occurrit (praeter hunc locum bis tantum quantum scio Thoas nominatur: in schol. ad Stat. Theb.

[1]) Cfr. Mueller. Orch. p. 437 sqq.; cfr. p. 476.

IV, 771 et Mythogr. I, 133: ‚Hypsipyle ex Iasone filios procreavit Euneum et Thoantem') cfr. ibid. I, 199: ‚Iasonides filius Iasonis et Hypsipyles; qui alterum habere maternum nomen fertur, id est Thoas, quia mater eius filia Thoantis erat, et alterum vocabatur a patre navigatore Euneus quia εὖ Graece dicitur bene, νηῦς dicitur navis; Euneus quasi bene navigans.' Bacchicae autem fabulae in mytho de Iasone iam apud Pherecydem et Simonidem vestigia indagari possunt, cfr. Eurip. Med. arg.: *Φερεκύδης καὶ Σιμωνίδης φασὶν ὡς ἡ Μήδεια ἀνεψήσασα τὸν Ἰάσονα νέον ποιήσειε.* [1]) Accuratius autem hac de re quaerere num revera Thebis quandoque orta sit, eius est qui de rebus post reditum a Iasone Medeaque gestis disquirere velit. Sed in fabula de Hypsipyle ipsa et patre Thoante Bacchica reperiuntur, ut hinc videatur duxisse originem mythus de filio Hypsipylae Nebrophono; nam adiuvante Libero regina patrem servavit (cfr. Valerius Flacc. II, 261 sqq.) neque mihi dissimile videtur esse veri hunc Thoantem eundem esse de quo legitur in schol. ad Apollon. Rhod. III, 997: *διαπεπαρθένευται* (scil. Ariadne) *δὲ ὑπὸ Διονύσου κατά τινας, ἐξ ἧς παιδοποιεῖ Οἰνοπίωνα, Θόαντα, Στάφυλον, Λάτραμυν, Εὐάνθη, Ταυρόπολιν,* quocum cfr. Mythogr. I, 199: ‚Phetoneus autem seu Thyoneus Liberi filius fuit qui in Chio regnavit, pater Thoantis regis, cuius filia Hypsipyle . . . . sola patrem servavit, quem proavus Liber salvavit.' Cum omnes illi Liberi et Ariadnae filii nominibus utantur quibus aut res ad cultum dei spectantes aut ipsius cultus partes significari primo cognoscis obtutu, addam etymologiam quam adhibendam esse putaverim de Thoante; videtur enim vox mihi derivata esse a radice *θεϝ*, unde *θέω* (curro) *θόος, θοάζω* (cfr. Curtius: Etymol. Gr. p. 256) explicanda sunt; et nunc optime intelleges cur comice dixerit Aristophanes in comoedia *Λήμνιαι* inscripta (cfr. Ammon. p. 138 ed. Valck.):

ἐνταῦθα δ' ἐτυράννευεν Ὑψιπύλης πατὴρ
Θόας βραδύτατος ὢν ἐν ἀνθρώποις δραμεῖν.

Huius partis fabulae non inventa sunt adhuc testimonia sive statuis sive imaginibus oblata; neque quae huc possent pertinere, sacrificia deae Chryses, revera pertinent (cfr. E. Gerhard. ephem.

---

[1]) Cfr. schol. ad Aristoph. Equit. 1332; Mueller. Orch. p. 267 sq.; Lycophr. v. 1315 cum scholl. Tzetz.; Boettiger de pict. vas. Gr. II, p. 182 sqq.

archaeol. XII, p. 161 sqq. et 178 sqq. tabb. XXXV et XXXVI); Flaschius enim (de falsis imagin. Argon. p. 15 sqq.) recte demonstravit, prorsus aliter imagines esse explicandas, quem vide.

Iam sequitur adpulsus ad oram Dolionum. Vid. Apollon. I, 936—1152, Orphic. v. 497 sqq., Hygin. f. 16, Apollodor. 1, 9. 18, Valer. Flacc. II, 636 sqq., III, 1 sqq., I. Marquardt de Cyzico p. 39 sqq. Fabula secundum Apollodorum haec est: *ἀπὸ Λήμνου δὲ προσίσχουσι Δολίοσιν, ὧν ἐβασίλευε Κύζικος. οὗτος αὐτοὺς ὑπεδέξατο φιλοφρόνως. νυκτὸς ἀναχθέντες ἐντεῦθεν καὶ περιπεσόντες ἀντιπνοίαις, πάλιν τοῖς Δολίοσι προσίσχουσιν. οἳ δὲ νομίζοντες Πελασγικὸν εἶναι στρατόν (ἔτυχον γὰρ ὑπὸ Πελασγῶν συνεχῶς πολεμούμενοι) μάχην τῆς νυκτὸς συνάπτουσιν ἀγνοοῦντες πρὸς ἀγνοοῦντας. κτείναντες δὲ πολλοὺς οἱ Ἀργοναῦται, μεθ' ὧν καὶ Κύζικον, μεθ' ἡμέραν ὡς ἔγνωσαν, ἀποδυράμενοι τάς τε κόμας ἐκείραντο καὶ τὸν Κύζικον πολυτελῶς ἔθαψαν.* Locum totum exscripsi quod simplicissime fabula narratur; poetae enim ut mythum quam maxime exornarent permulta addiderunt, imprimis interposuerunt pugnam Herculis cum Gigantibus. Apud Apollonium interposita haec fabula uberius tractata exstat, sumpta ut videtur e Deiochi scriniis sed paullulo mutata; Deiochus enim dixerat (cfr. schol. I, 989): *τοὺς δὲ Γηγενεῖς τοῖς Ἀργοναύταις ἐπιβουλεῦσαι δοκοῦντας λῃστὰς εἶναι*, cfr. ibid. I, 1037: *ἠκολούθησε δὲ Ἀπολλώνιος Δηιλόχῳ*;[1]) additam autem esse propter Herculem facile adparet, qui unus pugnam commisisse dicitur et impetum hostium donec succurrerent Argonautae sustinuisse; quocum optime consentit quod dixit Apollon. I, 996:

δὴ γάρ που κἀκεῖνα θεὰ τρέφεν αἰνὰ πέλωρα
Ἥρη, Ζηνὸς ἄκοιτις, ἀέθλιον Ἡρακλῆι.

De Hercule autem quando et quomodo factum sit ut socius diceretur esse Iasonis disserendi occasio melior infra occurret, ubi de Hyla et Hercule ab Argonautis relicto uberius agendum erit. Hic illud tantum monendum est, quod iam supra p. 7 diximus Herodorum in Argonauticis suis (cfr. schol. ad Apollon. I. 943) Herculem contra Gigantes pugnasse tradidisse; sed cum saepius legamus secundum Herodorum Herculem non fuisse inter

---

[1]) Cfr. schol. ad Apollon. Rhod. I, 987.

Argonautas, statuendum videtur esse eum istam notam occasione data in Argonauticis addidisse ubi de Cyzico locutus sit.

Recte igitur critica quadam arte Herodorus usus esse credi solet, qui imprimis fabulas de Hercule circumlatas studuerit ita a commixtorum mythorum satura segregare, ut temporum rationem adhiberet (vide Apollodor. I, 9. 19. 5); deinde Herodorus primus monographiam mythicam ut ita dicam componere conatus est discrimine statuto inter ipsas fabulas et historicas res; cum enim civitas quaeque genealogias suas habere videretur quae carminibus genealogiae inscriptis mox coeptae sunt litteris mandari, duo exstiterunt genera quibus viri docti et critica quadam indole praediti medelam adferre studuerunt: aut ipsi composuerunt genealogias electis eis fabulis quas licebat coniungere salva concinnitate servatoque conexu et quantum fieri potuit controversis rebus omissis; inter hosce primus fuit Hecataeus cfr. Demet. de elocut. § 12, ubi ipsius Hecataei verba servata sunt (cfr. Mueller. Fragm. histor. Gr. I, p. 25): *τάδε γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι. οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσίν*; aut monographias mythicas scripserunt velut Heracleas, quorum primus est Herodorus.

Tota igitur expositio quam praebent et Herodorus et Apollonius aliique de Gigantibus poetice ficta est; et Deiochus qui commemoratur propter scriptum *περὶ Κυζίκου* quid de his dixerit elucet e schol. ad Apollon. I, 987 et 989: *Δηίλοχος Θετταλοὺς εἶναί φησι ἐγχειρογάστορας*. Ceterum omnia Cyziceni servaverunt relicta secundum mythum ex Argonautarum expeditione, et templa et aras; de hisce et de ceteris vestigiis fabulae quae recentioribus temporibus ubique indagata sunt optime disseruit Grote, de hist. Gr. I, 241 sqq., quem plura de templis ab Argonautis ad Cyzicum aedificatis quaesiturus inspiciat; praeterea conferatur Neanthes Cyzicenus ap. Strab. I, 45. [1])

Imagine quadam (cfr. Gerhard. mon. III, 27) adventus Argonautarum ad Cyzicum illustratur: Hercules adiuvante Minerva (Iasonia) ancora armatus pugnat contra Cyzicum regem (de quo vide Millini imaginum mythol. tab. CVI. 421). Ceterum

---

[1]) Cfr. Cedren. p. 119.

animadvertendum est artifices pictoresque antiquos eam fabulae formam, cuius specimen tradiderunt Diodorus, alii, secutos Herculis facta saepius quam Iasonis curare.

Iam quod ad tempus adtinet ex quo de Cyzico fabula et rebus ab Argonautis gestis orta sit recte puto O. Muellerum [1]) sequi Deiochi et Ephori testimonia, ante Milesios Thessalos regionem tenuisse; et cum de Cyzico urbe quo anno condita sit duo exstent numeri Ol. 7 et Ol. 24, Ol. 24 autem constet Milesios Cyzicum venisse, Thessali videntur Ol. 7 condidisse urbem; [2]) itaque non multum ante hanc Olympiadem fabula nostra ficta esse potest, quocum consentit quod in Homericis carminibus nomen non invenitur; cfr. schol. ad Apollon. Rhod. I, 962, Raoul-Rochette de colon. Graec. I, 326 sqq., Kirchhoff., de compositione Odyss. p. 86 (de fonte Artacia vide quae contra Kirchhoffium monuit Heimreichius l. l. p. 17 sq.).

Iam de accessu ad Mysiam agendum est et de Hercule eiusque comite Hyla. Cfr. Apollon. Rhod. I, 1177 sqq., Orphic. v. 637 sqq., Valer. Flacc. III, 545 sqq., Theocrit. Id. XIII, 45, Antonin. Lib. 26, Hygin. fab. 14, Strabo XII, 564, Apollodor. I, 9. 19, Eudocia p. 213, 409, Mythograph. II, 199, Grote hist. Gr. I, 234 n., Mueller. Orch. p. 293, Dor. I, 347, 451, Proll. p. 108. De Glauco cfr. Iacobi lex. myth. s. v. et schol. ad Apollon. I, 1310. Fabula secundum Apollodorum I, 9. 19 haec est: . . . . *Μυσίᾳ προσίσχουσιν. ἐνταῦθα δὲ Ἡρακλέα καὶ Πολύφημον κατέλιπον. Ὕλας γὰρ ὁ Θειοδάμαντος παῖς, Ἡρακλέους δὲ ἐρώμενος, ἀποσταλεὶς ὑδρεύσασθαι διὰ κάλλος ὑπὸ νυμφῶν ἡρπάγη. Πολύφημος δὲ ἀκούσας αὐτοῦ βοήσαντος σπασάμενος τὸ ξίφος ἐδίωξεν, ὑπὸ λῃστῶν ἄγεσθαι νομίζων, καὶ δηλοῖ συντυχόντι Ἡρακλεῖ. ζητούντων δὲ ἀμφοτέρων τὸν Ὕλαν ἡ ναῦς ἀνήχθη καὶ Πολύφημος μὲν ἐν Μυσίᾳ κτίσας πόλιν Κίου ἐβασίλευσεν, Ἡρακλῆς δὲ ὑπέστρεψεν εἰς Ἄργος.* Quae fabula quo spectet statim intellegitur ex nomine Hyla: spectat nimirum ad Trachin urbem Graeciae prope ad Lebadeam sitam quam teste Thucydide (IV, 92) anno 426 Lacedaemonii iterum condiderunt sed mutato nomine (cfr. Apollon. I, 1348 sqq.). Iam vero Apollonius scripsit:

---

[1]) Orch. p. 287. [2]) Vix enim putaverim priorem quoque numerum ad Milesios pertinere.

ἐπηπείλησε (Hercules) δὲ γαῖαν
Μυσίδ' ἀναστήσειν αὐτοσχεδόν, ὁππότε μή οἱ
ἢ ζωοῦ εὕροιεν Ὕλα μόρον ἠὲ θανόντος.
τοῖο δὲ ῥύσι' ὄπασσαν ἀποκρίναντες ἀρίστους
υἱέας ἐκ δήμοιο, καὶ ὅρκια ποιήσαντο
μήποτε μαστεύοντες ἀπολλήξειν καμάτοιο.
τούνεκεν εἰσέτι νῦν περ Ὕλαν ἐρέουσι Κιανοί
κοῦρον Θειοδάμαντος ἐϋκτιμένης τε μέλονται
Τρηχῖνος· δὴ γάρ ῥα κατ' αὐτόθι νάσσατο παῖδας
οὕς οἱ ῥύσια κεῖθεν ἐπιπροέηκαν ἄγεσθαι.

En habes imitationem alius fabulae! cfr. schol. Apollon. Rhod. I, 1212: περιγενόμενος δὲ αὐτῶν (Dryopum) καὶ ἀνελὼν τὸν Θειοδάμαντα ἐδέξατο (Hercules) τὸν τούτου υἱὸν Ὕλαν καὶ τὸ πᾶν δὲ ἔθνος διὰ τὴν λῃστείαν μετῴκισεν . . . . . περὶ Τραχῖνα τὴν Θεσσαλικὴν πόλιν. Si quaerimus quis sit auctor fabulae illius de obsidibus Cianis, nemo in omnibus scholiis ad v. 1348 — 1357 adpositis invenitur nisi Cinaetho: schol. ad Apollon. I, 1357: ὅτι δὲ Κιανοὶ ὅμηρα ἔδοσαν Ἡρακλεῖ καὶ ὤμοσαν μὴ λήξειν ζητοῦντες Ὕλαν καὶ φροντίδα ἔχουσι Τραχινίων διὰ τὸ ἐκεῖσε κατοικισθῆναι ὑφ' Ἡρακλεῖ τοὺς ὁμηρεύσαντας Κιναίθων ἱστορεῖ ἐν Ἡρακλείᾳ. Ceterum Mysiam constat antiquis temporibus in mythis cum filio Herculis Telepho coniunctam fuisse; vetustissimum quantum scio huius rei testimonium exstat inter Hecataei fragmenta, cfr. Paus. VIII, 4. 9: ταύτῃ τῇ Αὔγῃ τῷ Ἑκαταίου λόγῳ συνεγίνετο Ἡρακλῆς, ὁπότε ἀφίκοιτο ἐς Τεγέαν. τέλος δὲ καὶ ἐφωράθη τετοκυῖα ἐκ τοῦ Ἡρακλέους, καὶ αὐτὴν ὁ Ἄλεος ἐσθέμενος ὁμοῦ τῷ παιδὶ ἐς λάρνακα ἀφίησιν ἐς θάλασσαν. καὶ ἡ μὲν ἀφίκετο ἐς Τεύθραντα δυνάστην ἄνδρα ἐν Καΐκου πεδίῳ καὶ συνῴκησεν ἐρασθέντι τῷ Τεύθραντι, et hic postea a filio invenitur. Si igitur verum est Cinaethonem quem posuit Hieronymus ad Ol. V scripsisse Heracleam, — contra cfr. Welcker. de cycl. ep. I², p. 217 sq., Markscheffel., p. 249,[1]) — eodem fere tempore sequitur quo fabulam de Hercule ad Cyzicum fixam esse diximus, Mysiae quoque oram tenuisse mythum de Hyla Herculeque. Nam certe ante annum 630 quo Milesii feruntur condidisse iterum urbem —

[1]) Discerni quaestio nequit; cfr. Groddeck. litt. hist. Gr. s. v. et Mueller. Dor. II, 477.

Prusias ex hoc tempore adpellabatur — fabula de Hercule fortasse huc a Milesiis vel Thessalis[1]) translata nota fuisse videtur, quoniam si illi Milesii qui a. 630 terram Cianam in ditionem receperunt et certo omni potestate usi sunt, primi fabulam secum illuc portassent, fieri vix potuisset ut cum mythis qui ad ipsam Mysiam cultusque ibi maxime celebratos spectabant misceretur, quod factum esse non negabis illum versum Apollonii modo laudatum respiciens:

τούνεκεν εἰς ἔτι νῦν περ Ὕλαν ἐρέουσι Κιανοί.

Genuinam fabulam Mysiam cum Graeca conexam sed simul commutatam in secundo metamorphoseon libro Nicandri (ap. Antonin. Lib. 26) legimus: *Ἡρακλῆς δ' ἐπεὶ αὐτῷ οὐκ ἐνόστει (Ὕλας) καταλιπὼν τοὺς ἥρωας ἐξερευνᾷ πανταχοῖ τὸν δρυμὸν καὶ ἐβόησε πολλάκις τὸν Ὕλαν. νύμφαι δὲ δείσασαι τὸν Ἡρακλέα μὴ αὐτὸν εὕροι κρυπτόμενον παρ' αὐταῖς, μετέβαλον τὸν Ὕλαν καὶ ἐποίησαν ἠχώ. καὶ πρὸς τὴν βοὴν πολλάκις ἀντεφώνησεν Ἡρακλεῖ. καὶ ὁ μὲν ὡς οὐκ ἐδύνατο πλεῖστα ποιησάμενος ἐξευρεῖν τὸν Ὕλαν, παρεγένετο πρὸς τὴν ναῦν καὶ αὐτὸς μὲν ἔπλει μετὰ τῶν ἀριστέων, Πολύφημον δὲ καταλείπει ἐν τῷ χωρίῳ, εἴ πως δύναιτο ζητῶν ἐξευρεῖν αὐτῷ τὸν Ὕλαν. καὶ ὁ μὲν Πολύφημος ἔφθη τελευτήσας, Ὕλᾳ δὲ θύουσιν ἄχρι νῦν παρὰ τὴν κρήνην οἱ ἐπιχώριοι καὶ αὐτὸν ἐξ ὀνόματος εἰς τρὶς ὁ ἱερεὺς φωνεῖ καὶ εἰς τρὶς ἀμείβεται πρὸς αὐτὸν ἠχώ.* O. Mueller. Orch. p. 293 parum distincte fata Hylae, Mariandyni, Idmonis composuit, cum de Hylae morte fabula diversa sit a ceteris, cfr. Athen. XIV, 619 sq. Idem autem cultus quo Ciani numen quoddam celebraverunt nomen eius vocantes non in nostram modo fabulam penetravit sed etiam in mythum de Rheso, de quo exposuit Parthen. erot. 36, fonte usus Asclepiade Myrleano ut videtur (cfr. Mueller., Frg. H. Gr. III, p. 300); fabula haec est: *λέγεται δὲ καὶ Ῥῆσον, πρὶν ἐς Τροίαν ἐπίκουρον ἐλθεῖν, ἐπὶ πολλὴν γῆν ἰέναι προσαγόμενόν τε καὶ δασμον ἐπιτιθέντα· ἔνθα δὴ καὶ εἰς Κίον ἀφικέσθαι κατὰ κλέος γυναικὸς καλῆς· Ἀργανθώνη αὐτῇ ὄνομα. . . . Χρόνου δὲ πολλοῦ διαγενομένου εἰς πολὺν ἔρωτα παραγίνεται τοῦ Ῥήσου. Καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἡσυχάζει αἰδοῖ κατεχομένη. ἐπειδὴ δὲ σφοδρότερον γίνετο τὸ ἐπάθος, ἀπετόλμησεν εἰς λόγους*

[1]) Cfr. Strab. XII, 594.

ἐλθεῖν αὐτῷ καὶ οὕτως ἐθέλων αὐτὴν ἐκεῖνος ἠγάγετο γυναῖκα. Ὕστερον δὲ πολέμου γενομένου τοῖς Τρωσὶ μετῄεσαν αὐτὸν οἱ βασιλεῖς ἐπίκουρον· ἡ δὲ Ἀργανθώνη εἴτε καὶ δι' ἔρωτα, ὃς πολὺς ὑπῆν αὐτῇ, εἴτε καὶ ἄλλως καταμαντευομένη τὸ μέλλον, βαδίζειν αὐτὸν οὐκ εἴα. Ῥῆσος δὲ μαλακιζόμενος ἐπὶ μονῇ οὐκ ἠνέσχετο, ἀλλὰ ἦλθεν εἰς Τροίαν καὶ μαχόμενος ἐπὶ ποταμῷ τῷ νῦν ἀπ' ἐκείνου Ῥήσῳ καλουμένῳ πληγεὶς ὑπὸ Διομήδους ἀποθνήσκει. Ἡ δὲ ὡς ᾔσθετο τεθνηκότος αὐτοῦ αὖτις ἀπεχώρησεν εἰς τὸν τόπον, ἔνθα ἐμίγη πρῶτον αὐτῷ καὶ περὶ αὐτὸν ἀλωμένη θαμὰ ἐβόα τοὔνομα τοῦ Ῥήσου. τέλος δὲ καὶ ποταμῷ προσιεμένη διὰ λύπην ἐξ ἀνθρώπων ἀπηλλάγη. — De tempore autem quo fabula ista de iuvene quodam vel ablato vel interfecto conexa sit cum mytho de Argonautis nil certi statui potest, cum mythos inde ab initiis coloniae Cianae simul valuisse consentaneum sit; neque quidquam proficimus si non Thessalos sed Milesios putamus eum Cium transtulisse (et sunt permulta quae pro Milesiis pugnare videantur, imprimis quod ipse Cius plerumque Milesius fuisse dicitur, etiam ab Aristotele, cfr. schol. ad Apollon. Rhod. I, 1175). Unum tantum mihi certum esse videtur: non esse conjunctas fabulas post Ol. X. Posses quidem suspicari fabulam de Hercule in Mysia versante non ante annum 658 notam fuisse, quo Heraclea condita est, urbs mox ita efflorescens ut ipsa colonias institueret; hic enim Hercules summopere colebatur et cum Heracleae mox exsisterent qui conarentur scribere de mythis, velut Herodorus, Nymphis, Promathidas qui quaecunque a nautis vel colonis Heracleotis audiverunt tradere et patriae gloriae consulere studuerunt, nil aliud huic consilio aptius videbatur quam si iam Argonautas urbem visisse fingerent, velut tempore recentiore iussu oraculi Promathidas dixerat Heracleotas deum *πολιοῦχον* colere Idmonem; cfr. schol. ad Apollon. II, 845, quem secutus est Apollonius. Sed hoc suspicari non licet, quamquam ego quoque Heracleae urbis auctoritatem magnam fuisse et in finitimarum urbium mythis cognosci posse non nescio, cum antiquitus ut demonstravimus in Mysia fabulae de Heraclidis circumlatae sint; praeterea mirum quidem est sed non potest negari neque Herodorum videri neque Nymphin de Hyla exposuisse. Nymphis vero qui floruit c. a. 360 descripsit cultum quendam Mariandynorum (ap. Athen. XIV, 619 sq.) fabulae de Hyla quodam modo similem, de Argonau-

tarum autem Herculisque ad Mysiam adpulsu si quid scripsit traditum non est. Sed longe ante Nymphidis aetatem Hylae Herculisque apud Mysos fata proverbii loco erant quod tetigit Aristophanes in Plut. 1127:

ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς,

quae verba Hemsterhusius recte videtur suspicatus esse e tragoedia quadam originem duxisse; a scholiasta huiusmodi explicantur: *τοῦ Θησέως Ἡρακλῆν εἰς τὴν Ἀργὼ ἐμβιβάσαντος ἡνίκα πρὸς Κολχοὺς ἀπέστειλεν αὐτὸν κομίσοντα τὸ χρυσόμαλλον δέρας, συμπαρέλαβε μεθ' ἑαυτοῦ ὁ Ἡρακλῆς καὶ Ὕλαν τὸν ἑαυτοῦ ἐρώμενον. ἐν δὲ τῷ παραπλέειν τῇ χέρσῳ κρήνην ἰδών τινα ὁ Ἡρακλῆς ἀπέστειλε τὸν Ὕλλαν κομίσοντα ὕδωρ. ὃς καὶ (καὶ ὃς) ὑπὸ τῶν Νηρηίδων ἁρπαγεὶς ἀφανὴς γέγονεν. Ἡρακλῆς οὖν μηκέτι τοῦ μείρακος ὑποστρέψαντος περιῄει πᾶσαν τὴν ἐκεῖσε ὕλην ζητεῖν (ζητῶν) τὸν ἐρώμενον καὶ ἐξ ὀνόματος καλῶν. πρὸς ὃν αἱ Νηρηίδες τοῦτ' ἔφασαν 'ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα.'* Ex Attica quadam tragoedia sumpta esse demonstrare videtur Thesei commemoratio; attamen nulla sunt talis tragoediae vestigia vel fragmenta, ne titulus quidem superstes est; unus Ovidius Trist. 2, 406 Hylam in tragoediarum argumentis fuisse testatur.

Tum fabulae mentio fit apud Nymphodorum in schol. ad Apollon. IV, 1470: *Πολύφημος ἐν Μυσίᾳ καταλειφθεὶς ἔκτισε πόλιν Κίον τὴν οὕτως ὀνομασθεῖσαν ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ. μαχόμενος πρὸς Χάλυβας οὗτος ἐτελεύτησεν ὥς φησι Νυμφόδωρος.* Mox denique inter celebrata fuit argumenta poetis (cfr. Theocr. Id. XIII). Hylae mortem praebet imago quaedam Herculanensis (cfr. Millin. imag. myth. tab. CVI, 420).

Multi et poetae et scriptores Heracleas composuerunt: ut taceam de Cinaethone, quippe qui fortasse non sit auctor talis carminis, Creophylus, Panyasis, Pisinus, Pisander, Herodorus, Phaedimus, Diotimus, Demaratus, Conon, Demodocus, alii, sed raro plus titulo servatum exstat ut de quaestione utrum Herculem inter Argonautarum numerum relatum et ad Cium relictum Hylaeque fata commemoraverint, an hoc sit tribuendum poetis vel tragicis vel lyricis, frustra studeas accuratiora indagare. Quod ad rationem adtinet qua qui de Hercule scripserunt poetae uti solebant, si nostram fabulam nunc omittimus, apud Homerum mythum simplicem nondum additamentis alienis admixtis reperies,

Herculem non ultra Ilion navigantem vel migrantem; mox autem quae Phoenices ex suis fabulis addiderunt a Graecis recepta adparent in Hesiodi theogoniae v. 289—294 et fortasse iam Aegyptis debentur quae Stesichorus de armis Herculis narravit. Sed is qui omnino se fabulas mutasse confessus est quique summa auctoritate usus est, Pindarus, mythum de Hercule potissimum ita augebat ut plurima quae ab antiqua mythi forma diversa tradita exstant ad eum videantur referenda esse; nec res aliter in nostrae parte fabulae se habet: Pindarus quantum erui potest primus Herculem inter Argonautas fuisse adfirmavit, id quod non modo eo quod ante eum nusquam adparet additus Iasonis sociis sed etiam testimonio scholiastae ad Pyth. IV, 303 demonstratur: *πάντας Σοφοκλῆς ἐν ταῖς Λημνιάσι τῷ δράματι καταλέγει τοὺς εἰς τὸ Ἀργῷον εἰσελθόντας σκάφος καὶ Αἰσχύλος ἐν Καβείροις. ὁ δὲ Πίνδαρος συσταλῆναι τὸν Ἡρακλέα τοῖς Ἀργοναύταις φησίν, ὡς δὲ ἐν Μυσίᾳ ἐξῆλθεν ἐφ᾽ ὕδρευμα, κατελείφθη παρὰ τῶν Ἀργοναυτῶν.*

Cum igitur nullo modo dubium sit quin et de Hercule Hylaque et de Argonautis fabulae longe ante Pindarum ad Cium sedem habuerint, unde verisimiliter factum quoque est ut inter se coniunctae narratae sint, cum facillime omnino mythos qui eodem loco traderentur concrevisse fere omnes Graecae fabulae quarum vel nulla simplicem genuinamve formam servavit demonstrent, inter scriptores primus Pindarus ut celebrandorum hominum augeret gloriam Herculem narrationi de Argonautis inseruit et ut qui eum imitati vel eius carminibus usi sunt in componendis scriptis coeptum amplificarent effecit.

Similem fabularum varietatem tragici instituerunt poetae, variatas autem quicunque eos secuti sunt ita curaverunt propagandas, ut quae ab illis dicta erant traderentur et finem quendam fabulis imposuisse viderentur, cum quodcunque postea diverse a tragica traditione de mythis prodebatur ita institutum esset, ut aut philosophica ratione adhibita modo ad instimulandum ad cultum vetustum, cum in eo esse videretur ut careret auctoritate, mutatum sit, cuius rei exemplar in nostra fabula est poema Orphicum quod vocatur de Argonautis, modo in alteram partem Euemerismo admoto corruptum sit, quo in componenda de Argonautis narratione usum esse vidimus Dionysium Mytilenaeum,

aut mirabilia quaeque conquirere cum studerent poetae tam temere exornatum sit ut vix principia elementaque fabularum servarentur, qua de re exemplo uti possumus clarissimo item ex nostra fabula sumpto: reditum dico Argonautarum, qui translatis erroribus et rebus terrisve mirabilibus ex Homeri Odyssea et aliunde mox tam exornatus erat et tam diverse fictus ut sint qui omnino duas statuere voluerint expeditiones; quod eo facilius factum est cum sua quaeque scriptor quae comperta habere putaret de geographia addere studeret. Deinde ex quo *εὑρήματα* componi coepta sunt huc quoque fabulas detrahere solebant scriptores, velut quod ad nos adtinet Scamon Mytilenaeus (ap. Clement. Alex. Strom. I, 76): *Μήδειά τε ἡ Αἰήτου ἡ Κολχὶς πρώτη βαφὴν τριχῶν ἐπενόησεν . . . . Ἄμυκός τε ὁ Βεβρύκων βασιλεὺς ἱμάντας πυκτικοὺς πρῶτος εὗρε*; de hisce rebus et similibus vide Eudoc. s. v. *Μήδεια*. Denique a Christianis fabulae mutatae vel corruptae potius sunt inlatis disciplinae Christianae et nominibus et principiis; nostram tali modo tractatam exhibuit Ioannes Antiochenus cuius fons est Charax Pergamenus (cfr. Mueller. Frg. H. Gr. IV, 548, 15): *ἐν τοῖς αὐτοῖς χρόνοις ὁ Μαρσύας ἐγένετο αὐλητὴς καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰάσονα καὶ τοὺς Ἀργοναύτας ἐπράχθη, οἳ προσορμίσαντες ἐν Κυζικῷ καὶ μετὰ τὸ ξενωθῆναι κατὰ ἄγνοιαν συμβαλόντες καὶ ἀνελόντες Κυζικὸν τὸν βασιλέα καὶ πενθήσαντες ἔκτισαν ἱερὸν εἰς μνήμην αὐτοῦ, ἐκεῖθέν τε ἀπελθόντες εἰς τὰ καλούμενα Πύθια θερμὰ καὶ θυσιάσαντες ἐπηρώτων τὸν Ἀπόλλωνα τίνος ἐστὶ τὸ ἱερὸν ὅπερ αὐτοὶ ᾠκοδόμησαν. Καὶ ἐδόθη αὐτοῖς χρησμὸς περιέχων οὕτως: ‚Ἀδαὴς κόρη ἔγκυος ἔσται. ὁ γὰρ ἐξ αὐτῆς προιὼν ἅπαντα κόσμον ζωγρήσας πατρὶ προσάξει δῶρον. αὐτῆς ἔσται δομὸς οὗτος. Μαρία δὲ τοὔνομα αὐτῆς.' Οἱ δὲ νομίσαντες περὶ Ῥέας ταῦτα λελέχθαι ἐπωνόμασαν αὐτὸν τῆς Ῥέας. ὅστις οἶκος ἐπὶ Ζήνωνος τοῦ βασιλέως ἐκκλησία γέγονε τῆς δεσποίνης ἡμῶν καὶ θεοτόκου Μαρίας. Ἐκεῖθέν τε ἀναπλέοντες διὰ τῆς Βιθυνίας ὡρμημένοι τὴν Ποντικὴν διαπεράσαι θάλασσαν, καὶ φθάσαντες περὶ τὸν καλούμενον Ἀνάπλουν, ἔμαθον ὅτι τὸ στενὸν ἐκεῖνο τῆς θαλάσσης βάρβαρός τις Ἄμυκος κατέχει καὶ τοὺς πλέοντας ληστεύει καὶ φονεύει καὶ καταφυγόντες ἐν κόλπῳ δασυτάτῳ ἐθεάσαντο ἐν ὀπτασίᾳ τινὰ φοβερὰν ἀνδρὸς εἰκόνα ἀετοῦ ἔχοντος πτέρυγας κατὰ τῶν ὤμων, προθεσπίζοντος αὐτοῖς τὴν κατὰ Ἀμύκου νίκην. Συμβαλόντες*

γοῦν ἀναιροῦσι τὸν Ἄμυκον καὶ ὑποστρέψαντες ᾠκοδόμησαν ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ ἱερὸν γράψαντες ἐν εἰκόνι ὅπερ εἶδον ἐκτύπωμα καὶ ὀνομάσαντες τὸν τόπον Σωσθένιον· ὅπερ ἱερὸν χρόνοις ὕστερον ὁ τοῦ Βυζαντίου βασιλεὺς Κωνσταντῖνος ὁ μέγας εἰς ὄνομα τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ ὠνόμασεν. Ἐκεῖθεν οἱ περὶ Ἰάσονα διὰ τῆς Ποντικῆς θαλάσσης εἰς Κολχίδα παραγενόμενοι ἔλαβον τὴν Μήδειαν καὶ τὸ χρυσοῦν λεγόμενον δέρας ὅπερ ἦν οὐχ ὥσπερ ποιητικῶς φέρεται, ἀλλὰ βιβλίον ἐν δέρμασι γεγραμμένον περιέχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν.[1]) Vides igitur quam multis e causis quantopere variata sit fabula, quasi argilla formanda quae formanti cuique alia evadit. Accuratius vero si historiam fabulae respicis quinque invenies periodos: ac prima vetusta est continens carmina antiqua de Argonautis, Homeri carmina (Iliad. et Odyss.) et Hesiodi theogoniam, secunda usque ad Herodori et Pindari tempora progreditur, in qua ei omnes insunt auctores qui quodcunque audiverunt conligentes tradiderunt; tertia usque ad Dionysium Mytilenaeum ducit complectens et eos qui critica quadam arte fabulam studuerunt servare vel eruere genuinam et qui consilio commutaverunt; huc igitur pertinent Pindarus, Herodorus, tragici poetae, nec non epici quidam, denique multi logographi qui dicuntur; quarta complectitur spatium inter Dionysii Mytilenaei et Nonni tempora (exceptis nimirum scriptis Christianis) quibus Orphicum carmen ortum esse videtur: fabula in tertia periodo mutata tantum nunc corrumpitur; quinta denique Christianos continet scriptores. De Romanis autem poetis vel scriptoribus qui fabulam tractarunt inde a P. T. Varrone Atacino usque ad Dracontium non loquor, quoniam imitati tantum sunt Graecos: nihil igitur ad rem, cuinam periodo tribuendi sint. Ceterum in unaquaque periodo fabularum tractandarum ratio quod alia fuit, nisi de fontibus eorumque fide certissima statuere licet quam maxime cavendum est ne confundamus scriptores, ut exemplo utar Dionysii Mytilenaei (sive Diodori) narrationes idem valere opinantes atque Hecataei. — Sed ad ipsam fabulam revertor.

Nunc de Amyco agendum est; cfr. Apollon. II, 1 sqq., Orphic. v. 657 sqq., Theocrit. 22, Valer. Flacc. IV, 1 sqq.,

---

[1]) Cfr. Suid. s. v. *δέρας* et *χημεία*. Eudoc. p. 108. Phavorin. s. v. *δέρας* et Anonym. *περὶ ἀπίστων* p. 321 Mythograph. Westermann.

Apollodor. I. 9, 20, Schol. ad Apollon. Rhod. II, 98. Fabula breviter ab Apollodoro exponitur: *ἀπὸ δὲ Μυσίας ἀπῆλθον εἰς τὴν Βεβρύκων γῆν ἧς ἐβασίλευεν Ἄμυκος Ποσειδῶνος παῖς καὶ Βιθυνίδος. γενναῖος δὲ ὢν οὗτος τοὺς προσίσχοντας ξένους ἠνάγκαζε πυκτεύειν καὶ τοῦτον τὸν τρόπον ἀνῄρει. παραγενόμενος οὖν καὶ τότε ἐπὶ τὴν Ἀργὼ τὸν ἄριστον αὐτῶν εἰς πυγμὴν προυκαλεῖτο. Πολυδεύκης δὲ ὑποσχόμενος πυκτεύσειν πρὸς αὐτὸν, πλήξας κατὰ τὸν αὐχένα ἀπέκτεινε. τῶν δὲ Βεβρύκων ὁρμησάντων πρὸς αὐτὸν ἁρπάσαντες οἱ ἀριστεῖς τὰ ὅπλα πολλοὺς φεύγοντας φονεύουσιν αὐτῶν.* Vetustiores velut Epicharmus (cfr. schol. ad Apollon. II, 98) non caesum tradiderunt sed vinctum Amycum; et vinctum regem nemo nescit esse fictum in cista Ficoronensi quae dicitur;[1]) artifex fabulam traditam secutus adposuit laurum;[2]) alius autem cistae auctor alium videtur arborem voluisse conficere.[3]) Pro arbore alius artifex (cfr. Gerhard. elect. vas. imag. 153, 54) saxum fecit, ad quod Amycus adstrictus est (talia secundum Zenobium (proverb. 6, 44) primus Stesichorus praeclarus ille mythologus tradidit). In arca Cypseli (cfr. Paus. V, 17, 4) Pollux fictus erat sed addita biga — vetustissima ut videtur fabulae forma.

Scripserunt de Tyndaridae cum Amyco pugna praeter supra memoratos Sophocles (fragm. ed. Dindorf. 113-114), Callimachus (cfr. schol. ad Apollon. Rhod. II, 3), Deiochus, Epicharmus, Pisander (cfr. schol. ad Apollon. II, 98), denique Charon ut videtur (schol. ad Apollon. II, 2). Iam si quaerimus hisce scriptoribus unde nota fuerit fabula difficile est responsu; primum autem de Pisandro videamus quoniam si est Camirensis omnium primus videtur mythum tractasse. Floruit Pisander Rhodius sive Camirensis c. Ol. XXX, et scripsit duos libros de Hercule; alius Pisander est Larandeus qui Alexandri Severi temporibus vixit secundumque Suidam scripsit *ἡρωικῶν θεογαμιῶν* libros LX, *καὶ ἄλλα καταλογάδην*. De Larandeo disputaverunt Welcker. de cycl. ep. p. 91 sqq., Weichert. de Apollonio p. 240 sqq., Duentzer fragm. poet. epic. Gr. I, 86 et paralipom. p. 34 sq., Heyne ad Vergil. Aen. II, p. 314 sqq. Iam vero tradidit locum

---

[1]) Cfr. O. Iahn. de cist. Ficor. 1852, et idem in Mus. Rhen. n. s. VII, p. 298.
[2]) schol. ad Apollon. Rhod. II, 159. Plin. XVI, 44, 89. Steph. Byz. s. v. *Δάφνη*, Anonym. *περίπλους* p. 16. [3]) S. Bartoli de sepulc. 95. O. Iahn l. l. p. 3.

vexatum Macrobius Saturn. V, 2, 5 ubi de fontibus loquitur Vergili: ,qui (Pisander scil.) inter Graecos poetas eminet opere quod a nuptiis Iovis et Iunonis incipiens universas historias quae mediis omnibus saeculis usque ad aetatem ipsius Pisandri contigerunt, in unam seriem coactas redegerit et unum ex diversis hiatibus temporum corpus effecerit. In quo opere inter historias ceteras interitus quoque Troiae in hunc modum inlatus est.' Ac primum quidem certum est hunc Pisandrum neque Rhodium neque Larandeum esse ut recte Welcker intellexit; quomodo enim fieri potuit ut in tam gravem incideret errorem Macrobius ut Pisandrum Larandeum qui c. a. 230 floruit fontem Vergili esse statueret? Iam vero accedit aliud: carmen illud a Macrobio nominatum idem esse videtur atque *ἡρωικαὶ θεογαμίαι*: consentiunt enim fere omnia de hisce carminibus: quod Suidas Theogamias adpellat *ποικίλην ἱστορίαν* libris LX insertam, quod Zosimus V, 29 poetam Pisandrum in carmine *ἡρωικαὶ θεογαμίαι* inscripto totam fere historiam complecti dicit, quod denique mira essent duo carmina inter se similia nomineque Pisandri ornata — quibus omnibus causis si adfirmatur idem carmen esse et adfirmatur revera, Suidam duos Pisandros confudisse liquet, quod iam Kuester ad Suid. et Duentzer fr. poet. ep. paralip. p. 34 recte monuerunt. Carmen igitur quod Pisandro tribuit Macrobius cuiusque originis tempus ante Vergilium ponendum est — itaque fere c. a. 110—100 — inscriptum erat *ἡρωικαὶ θεογαμίαι*. Ad hoc autem fragmenta ea quoque spectant quae servavit scholiasta ad Apollon. Rhod. I, 152: *Φερεκύδης τὴν μητέρα τῶν περὶ Ἴδαν Ἀρήνην φησίν, ἀφ' ἧς ἡ πόλις, Πείσανδρος Πολυδώραν*, quocum conferas I, 471: *Ἀρήνη πόλις Πελοποννήσου, νῦν δὲ Ἱέρανα* (*Ἔρανα* coniec. Meinekius vind. Strab. p. 110) *λέγεται ὥς φησι Πείσανδρος*, unde luculentissime adparet non posse cogitari de Pisandri Rhodii Heraclea quoniam de recentiore tempore sermo est. Nil autem impedit quominus cetera quoque fragmenta ad eundem Pisandrum feramus cfr. Heyn. excurs. I ad Verg. Aen. II, p. 314 sq.; de uno tantum dubitare licet: I, 1195: *Πείσανδρος δέ φησι χαλκοῦν εἶναι τὸ ῥόπαλον Ἡρακλέους*, quod tribuerem Pisandro Camirensi nisi constaret nostrum quoque Pisandrum de Hercule locutum esse. Huc igitur pertinent praeterea fragmenta in schol. ad Apollon. II, 98; 1088; IV, 57; 1396. Hesiodum Pisander non secutus est (cfr.

schol. ad Apollon. IV, 1396) sed Epicharmum Siculum qui primus vinctum esse Amycum tradidit.

Huius autem Pisandri vestigia alio quoque loco indagantur, in Valerii Flacci carmine de Argonautis: Valerius Flaccus qui floruit Vespasiani tempore atque videtur ante annum XC mortuus esse, imprimis Apollonium in componendo carmine secutus est; deinde Diodorum et Herodorum poetam adhibuisse sibi persuasit Thilo (in praef. ad Valer. p. VIII. not. 2) ubi de ratione inter huius Diodorique narrationes intercedente disseruit: ‚Diodori' inquit ‚libro IV Valerium usum esse probabili ratione mihi videor conlegisse; primum enim inter expeditionem Argonautarum ab Hercule Hesionam liberatam esse ille solus quantum scio tradit. Deinde de Aesonis et Alcimedes morte narratio (1, 700 sqq.) etsi non prorsus convenit eis quae apud Diodorum IV, 50 leguntur (eadem narravit Apollodor. I, 9. 27) his tamen in suis fingendis Valerius uti potuit; neque quisquam Diodori IV, 40 non agnoscet observatum esse Valerio libri primi vv. 22 — 90 scribenti: denique inde a V, 217 usque ad finem carminis longe quidem plurima Valerius ipse invenisse putandus est, sunt tamen quae a Diodoro mutuatus esse videatur veluti Circae et Persae nomina certe. Tiphy mortuo Erginum non Ancaeum Argo navem gubernandam suscepisse ab Herodoro fortasse Valerius accepit, cfr. schol. ad Apollon. II, 895.' Quamquam verum est Valerium et Diodorum de Persae et Circae nominibus et de liberata Hesiona consentire, tamen simul animadvertendum est, inde a libr. V v. 155 usque ad finem tantum discrimen intercedere inter Valerium et Apollonium, quem hucusque in plerisque imitatus est, ut alium incipere fontem putes, qui certe Diodorus non est, cum de reditu diversissima tradiderint.

Valerius Argonautas redeuntes Istri cursum dixit secutos esse; si igitur perfectum exstaret opus usque fere ad fontes fluminis eos vectos esse legeremus; quoniam autem Eridanus et Rhodanus de quibus fabulatus est Apollonius quomodo sese haberent iam dudum post bella ibi gesta notum fuit, non perspicuum esset consilium Valerio propositum nisi succurreret Plinii locus (hist. nat. III, 8) ubi de Istro ficto quem in Adriam effundi creditum erat sermo est: ‚nullus' inquit ‚ex Danubio amnis effunditur. Deceptos credo quoniam Argo navis flumine in mare Adriaticum descendit, non procul Tergeste, nec iam

constat quo flumine. Humeris travectam Alpes dilig
tiores tradunt. Subiisse autem Istro, dein Savo, dein N
porto cui nomen ex ea causa est, inter Aemonam Alpes
exorienti.' Quaeritur igitur qui sint isti diligentiores; orta
haec sententia recentiore tempore, certe post Apollonium, ne
dubium videtur quin eandem adtulisset Valerius si perfic
potuisset poema: quoniam enim Istrum ingressi sunt Argonau
secundum hunc poetam, Apollonii autem explicationem Val
temporibus mendosam esse iam diu Romanis compertum f
nil aliud restat; talem igitur scriptorem si invenerimus qui omi
Eridano et Rhodano Istrum usque fere ad fontes secutos e
heroes indeque mare Adriaticum petiisse dicat ‚navi trave
Alpes', fontem Valerii nos invenisse licebit adfirmare. Atc
est talis poeta: cfr. Zosimus hist. V, 29 ubi de Hemona loquit
ἄξιον δὲ μὴ παραδραμεῖν ὅσα τῆς πόλεώς ἐστι ταύτης,
ὅπως τὴν ἀρχὴν ἔτυχεν οἰκισμοῦ. Τοὺς Ἀργοναύτας φα
ὑπὸ τοῦ Αἰήτου διωκομένους ταῖς εἰς τὸν Πόντον ἐκβολ
τοῦ Ἴστρου προσορμισθῆναι κρῖναί τε καλῶς ἔχειν διὰ τούτ
πρὸς ἀντίον τὸν ῥοῦν ἀναχθῆναι, καὶ μέχρι τοσούτου δ
πλεῦσαι τὸν ποταμὸν εἰρεσίᾳ καὶ πνεύματος ἐπιτηδείου φο
μέχρις ἂν τῇ θαλάσσῃ πλησιαίτεροι γένοιντο. πράξαντες
ὅπερ ἔγνωσαν ἐπειδὴ κατὰ τοῦτον ἐγένοντο τὸν τόπον μνήμ
καταλιπόντες τῆς σφετέρας ἀφίξεως τὸν τῆς πόλεως οἰκισμ
μηχαναῖς ἐπιθέντες τὴν Ἀργὼ καὶ τετρακοσίων σταδίων ὁδ
ἄχρι θαλάσσης ἑλκύσαντες, οὕτω ταῖς Θεσσαλῶν ἀκταῖς προσο
μίσθησαν, ὡς ὁ ποιητὴς ἱστορεῖ Πείσανδρος ὁ τῇ τῶν ἡρωικ
θεογαμιῶν ἐπιγραφῇ πᾶσαν ὡς εἰπεῖν ἱστορίαν περιλαβ
Pisandrum igitur ante oculos habuisse Valerium putaverim c
inciperet scribere de reditu Argonautarum; fieri tamen potest
Pisandri carmen eis quoque Valerianorum Argonauticon partib
sive particulis fons sit ubi Diodorum et Herodorum posuit Th
quod quamquam pro certo haberi nequit tamen alicuius
momenti propterea quod vix videtur esse consentaneum Valeri
ipsum Herodorum inspexisse.

Vetustissima igitur fabulae de Amyco vestigia veniun
apud Epicharmum et Deiochum et Sophoclem, cum Pisan
recentioris temporis scriptor sit. Iam igitur unde orta sit fab
quaerendum; nam cum ad oram Asiae minoris antiquiore te
pore sedem habuisse non videatur, quod illis temporibus n

fuit locus cui tributa sit, — et si quae fabula fixa alicubi est, si non templa vestigia praebeant, at certe locum quendam significari necesse est quocum coniuncta sit, — a suo enim quaeque fabula loco pendet quod si non ita est non mythus vocabitur sed narratio, — in Graecia ipsa sequitur originem investigandam esse, quoniam quod in Bithynia regnaverit Amycus non sufficit, ut fabulam hic stabilitam fuisse credamus; idem enim valerent Hyperborei, Macrobii, aliae nationes vel terrae fabulosae. Et ipse Apollonius ubi patria mythi reperiri possit indicavit II, 159 sqq.:

ξανθὰ δ' ἐρεψάμενοι δάφνῃ καθύπερθε μέτωπα
ἀγχιάλῳ, τῇ καί τε πέρι πρυμνήσι' ἀνῆπτο,
'Ορφείῃ φόρμιγγι συνοίμιον ὕμνον ἄειδον
ἐμμελέως· περὶ δέ σφιν ἰαίνετο νήνεμος ἀκτὴ
μελπομένοις· κλεῖον δὲ Θεραπναῖον Διὸς υἷα.

Therapne autem ad Spartam sita coniuncta erat cum cultu Tyndaridarum (cfr. Paus. III, 14, 8 — 10) et ipsum Pollucem significat illud Apollonii *Θεραπναῖον Διὸς υἷα*. Lacedaemoniam igitur originem prae se fert fabula, quocum consentiret si certum esset Epicharmum Siculum fuisse ex gente Lacedaemoniorum. — In recentiore autem tempore quae de Polluce et Amyco circumferebantur ad Bebrycum fines venisse videntur; legimus enim in schol. ad Apollon. Rhod. II, 159: *οὐ ποιητικῶς δὲ ἀνέπλασε τὴν δάφνην ὁ 'Απολλώνιος, ἀλλ' ἔστιν ὄντως ἐν τῷ τόπῳ δένδρον δάφνης εὐμέγεθες ὥς φησιν 'Ανδροίτας* (?) *ὁ Τενέδιος ἐν τῷ Περίπλῳ τῆς Προποντίδος, παριστορῶν ὅτι "Αμυκος μὲν καλεῖται τὸ χωρίον, ἔχει δὲ ἐποίκια καὶ νῦν, διέστηκε δὲ τοῦ Χαλκηδονίου νυμφαίου σταδίους πέντε. 'Απολλόδωρος δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ποντικῶν ἡρῷον αὐτόθι φησὶν εἶναι 'Αμύκου, καὶ εἴ τις ἐκ τῆς δάφνης κλάδον λάβοι, εἰς λοιδορίαν ἀνίστησι.* De quorum testimoniorum auctoritate eo magis dubitare licet cum neque Strabo neque Stephanus Byzantius quidquam de hoc loco tradant.

De Phineo fabulas recte Heynius ad Apollodor. I, 9. 21 dixit miris modis variatas esse ‚quia et in Argonauticis et in Heracleis eae tractatae mox et in fabulas Atticas per Cleopatram uxorem inductae et in scenam productae fuere.' Quae fata Phinei ante Argonautarum expeditionem perhibita traduntur omittemus, id tantum pertractantes quod ad nostram fabulam spectat. Cfr. Aeschyli et Sophoclis Phin. I et II, Apollonius II,

178—497, Diodor. IV, 43. 44, Sophocl. Antigon. 980 sqq., Orphic. 665, Apollodor. I, 9. 21, Eudoc. p. 414, Hygin. f. 19, Valerius Flacc. IV, 422 sqq., schol. ad Apollon. Rhod. II, 178, 181 (et I, 211), Naupactica (ap. Duentzer. frg. ep. poet. p. 61), Mythograph. I, 27, II, 142 (cfr. I, 111), Clavier. ad Apollodor. II, 175. Brevissime fabulam exposuit Hyginus f. 19: ‚Phineus Agenoris filius Thrax [ex Cleopatra habuit filios duos. hi a patre novercae crimine excaecati sunt. huic etiam Phineo Apollo augurium dicitur dedisse. hic] deorum consilia cum enunciaret ab Iove est excaecatus et adposuit ei Harpyias quae Iovis canes esse dicuntur,[1] quae escam ab ore eius auferrent, huc cum Argonautae devenissent et cum iter ut demonstraret rogarent dixit se demonstraturum si eum poena liberarent. Tunc Zetes et Calais Aquilonis venti et Orithyiae filii qui pennas in capite et in pedibus habuisse dicuntur Harpyias fugaverunt in insulas Strophadas et Phineum poena liberarunt. Quibus monstravit quomodo Symplegadas transirent; ut columbam mitterent in recessu earum quam petrae cum concurrissent si contudissent illi retro refugerent, ... Argonautae beneficio Phinei Symplegadas transierunt.' De Harpyis locos veterum conlegit Iacobi lex. myth. s. v. Phineus, et Eckermann. in encyclop. Ersch. et Grub. s. v., quos vide.

Urbes Phinei fuerunt Salmydessus[2] et Phinopolis et praeterea a Stephano Byzant. commemoratur *Φίνειον* (v. s. v.) *τόπος τοῦ Πόντου, κτίσμα Φινέως*; cfr. Mueller. Orch. p. 290. Vetustissima fabulae de Phineo enarratio ab Hesiodo facta est (cfr. schol. ad Apollon. Rhod. II, 178) secundum quem filius dicitur Phineus Phoenicis, Agenoris filii, et Cassiopeae Arabis filiae, frater Cilicis et Doryclis, et pater Mariandyni et Thyni (cfr. schol. ad Apollon. Rhod. II, 181). Exposuit Hesiodus de occaecato vate in tertio Catalogorum libro et in Eoeis: *πεπηρῶσθαι δὲ Φινέα φησὶν Ἡσίοδος ἐν Μεγάλαις Ἠοίαις, ὅτι Φρίξῳ τὴν ὁδὸν ἐμήνυσεν, ἐν δὲ τῷ γ̅ καταλόγων ἐπειδὴ τὸν μακρὸν χρόνον τῆς ὄψεως προέκρινεν* (schol. ad Apollon. II, 181) —

---

[1]) Cfr. Apollon. Rhod. II, 289. Serv. ad Virgil. Aen. III, 209.

[2]) Quae aut in Thracia aut in Paphlagonia (cfr. schol. ad Apollon. Rhod. II, 178) aut in Arcadia fuisse dicitur (cfr. Serv. ad Vergil. Aen. III, 209) aut ad Thermodontem fluvium (cfr. Aeschyl. Prom. v. 751).

quo testimonio maxime perspicitur Catalogum ab Eoeis discernendum esse. Ille tertius Catalogorum liber aliud quoque nomen prae se tulit quod discimus e Strab. VII, 302: *Ἡσίοδον δὲ ἐν τῇ καλουμένῃ Γῆς Περιόδῳ τὸν Φινέα ὑπὸ τῶν Ἁρπυιῶν ἄγεσθαι*

Γλακτοφάγων εἰς γαῖαν, ἀπήναις οἰκί᾽ ἐχόντων,

quae adpellatio ex ea explicatur causa quod errores Argonautarum in hoc libro narrati fuerunt; Phinei enim fata iam ab Hesiodo cum fabula de Argonautis coniuncta esse praeter schol. II, 181 demonstrat schol. II, 297: *ὅτι δὲ ηὔξαντο οἱ περὶ Ζήτην τῷ Διὶ στραφέντες λέγει καὶ Ἡσίοδος:*

ἔνθ᾽ οἵγ᾽ εὐχέσθην Αἰνηίῳ ὑψιμέδοντι,

et paullo post: *Ἀπολλώνιος μὲν οὖν τὴν ἀποστρέψασαν τοὺς περὶ Ζήτην Ἶριν λέγει, Ἡσίοδος δὲ Ἑρμῆν,*[1]) qui quidem loci ad Catalogos referendi sunt. Hesiodum secutus est Antimachus Colophonius qui floruit c. a. 404 et carmen Lyda inscriptum formam et rationem similem secutus composuit quas Mimnermus in Nannone propositas sibi habuisse videtur. Ubique enim quantum ad nostram pertinet rem cum Hesiodo consentit (schol. ad Apollon. I, 211, II, 296 et 297, II, 178, I, 1289 (de Hercule relicto aliter expositum erat in *Κήυκος γάμῳ*) IV, 156, 259); ex Antimachi Lyda deinde fecit excerptum Agatharchides Cnidius qui floruit c. a. 148 — 105.

Phineus igitur inter antiquissimas fuit fabulas quae e Phoenicum mythologia in Graeciam invaserunt; apud Euripidem etiam Aegyptus fuisse dictus erat, cfr. Apollodor. II, 1. 4. 3: *Βῆλος δὲ ὑπομείνας ἐν Αἰγύπτῳ βασιλεύει μὲν Αἰγύπτου, γαμεῖ δὲ Ἀγχινόην τὴν Νείλου θυγατέρα καὶ αὐτῷ γίνονται παῖδες δίδυμοι Αἴγυπτος καὶ Δαναός, ὡς δέ φησιν Εὐρυπίδης καὶ Κηφεὺς καὶ Φινεὺς προσέτι.* Postea fabula non modo cum Argonautis sed etiam cum mythis de Perseo et Cadmo coniuncta est,[2]) quo ut recentiore tempore duo existerent Phinei factum. Cfr. Movers. Phoen. II, 2, 297 sqq., sed quo caute tantum utaris. — Ex hisce rebus probabile fit urbes quoque quae Phinei fuisse dicuntur non Graecas fuisse; Salmydessus autem quot diversis terris tributa sit supra com-

---

[1]) Locus propter nimiam brevitatem obscurus si non corruptus. [2]) Cfr. Nonnus II, 686 sqq., schol. ad Eur. Phoen. 5.

memoravi, eo remotiore in loco conlocata quo longius scientia geographica procedebat; ex hoc et propterea quod in antiquissimis testimoniis non sola adparet narrata fabula sed coniuncta cum nostra perhibetur, consentaneum esse videtur in terris ad Propontidem sitis priscis temporibus fabulas conexas et hinc in Graeciam inlatas esse. Quaeritur autem utrum fabula de Harpyis[1]) quae iam apud Hesiodum de Phineo fabulae addita est Graecae originis speciem habeat an ex alienis terris et mythologiis translata sit. Harpyiae quae antiquissimo tempore humanis et pulchris quidem formis praeditae fuerunt, etiam ubi de Phineo agitur Aeschyli aetate adparent liberae taedio; ipse enim Aeschylus in Phineo tragoedia scripsit (cfr. Athen. X, 421 f. sq.):

καὶ ψευδόδειπνα πολλὰ μαργώσης γνάθου
ἐῤῥυσίαζον στόματος ἐν πρώτῃ χαρᾷ,

et Aeschylum cum Phinei fata enarraret ante oculos habuisse Apollonium verisimile visum est Eckermanno l. l. Sed Apollonius Harpyias tales finxit quales postea fuisse putabantur: II, 228:

τυτθὸν δ' ἦν ἄρα δήποτ' ἐδητύος ἄμμι λίπωσιν
πνεῖ τόδε μυδαλέον τε καὶ οὐ τλητὸν μένος ὀδμῆς,

cfr. II, 189 sqq., 270 sqq. Unde vero hoc sumpserit etsi scholiastae tacent, intellegitur; legimus enim in schol. ad Hom. Od. μ 69 quod Asclepiades Tragilensis c. a. 330 de eis dixit: *καὶ ὁρῶσι τὸν Φινέα* (Argonautae) *πηρὸν διά ταύτην τὴν αἰτίαν. Ἔχων γὰρ παῖδας ἐκ Κλεοπάτρας τῆς Βορέου καὶ ἐπιγήμας Εὐρυτίαν δίδωσιν αὐτοὺς τῇ μητρυιᾷ διαβληθέντας πρὸς ἀναίρεσ ν. Ζεὺς δὲ χαλεπήνας λέγει αὐτῷ πότερον βούλεται ἀποθανεῖν ἢ τυφλὸς γενέσθαι. Ὁ δὲ αἱρεῖται μὴ ὁρᾶν τὸν ἥλιον. Ἀγανακτήσας δὲ ὁ Ἥλιος Ἁρπυίας ἐπιπέμπει αὐτῷ, αἵτινες εἴποτε μέλλοι ἐσθίειν, αὐτοῦ [τὰ βρώματα] διήρπαζον ἐμβάλλουσαι φθοράν τινα. Καὶ οὕτω Φινεὺς ἐτιμωρεῖτο. Τοῦτον οὖν τὸν Φινέα θεωρήσαντες οἱ περὶ τὸν Ἰάσονα παρεκάλουν ὑποθέσθαι πῶς δεῖ διαπλεῦσαι τὰς Πλαγκτὰς λεγομένας πέτρας. Ὁ δὲ εἶπεν ἐὰν τὰς Ἁρπυίας ἀπαλλάξωσι τῆς πρὸς αὐτὸν ὁρμῆς. Θέντες δὲ συνθήκας ἐπαγγέλλονται αὐτῷ τοῦτο δρᾶσαι. Ὁ δε λέγει αὐτοῖς πόσον δύναται ἔχειν τάχος ἡ Ἀργώ;*

---

[1]) Cfr. Voss. epist. myth. I, 34.

φάντων δὲ πελείαδος ἐκέλευσεν ἀφεῖναι περιστερὰν κατὰ τὴν συμβολὴν τῶν πετρῶν, κἂν μὲν μεσολαβηθῇ μὴ πλεῖν, ἐὰν δὲ σωθῇ τότε περαίνειν τὸν πλοῦν. Haec sufficiant ut demonstretur Apollonium non Aeschylum tantum — de qua re non potest disceptari cum ex Aeschyli fabula unum tantum exstet fragmentum sed quod potius videtur docere Aeschylum non esse adhibitum — sed Asclepiadem quoque ante oculos habuisse, quocum omnino consentit Apollonii in componendo carmine ratio, qui obscuriores potius scriptores quam ubique circumlatos sequi amat. Cavendum autem est ne carmen quod Naupacticum dicitur fontem esse credamus, quod quis posset elicere e schol. ad Apollon. Rhod. II, 299: *κοιλάδα τῆς Κρήτης κατέδυσαν* (scil. Harpyiae). *τοῦτο δέ φησι καὶ Νεοπτόλεμος· ὁ [δὲ] τὰ Ναυπακτικὰ ποιήσας καὶ Φερεκύδης ἐν ϛ̅ φασὶν εἰς τὸ σπέος αὐτὰς φυγεῖν τῆς Κρήτης τὸ ὑπὸ τῷ λόφῳ τῷ Ἀργινοῦντι.* Naupacticum enim vetustum carmen et iam ante Herodoti tempus cognitum fuit: itaque hic Harpyiae non potuerunt habere ex parte formam avium quam paullo ante Aeschylum accepisse videntur.[1] Neque Neoptolemus — si quidem recte illud scholion emendatum est, codex L cum praebeat: *τοῦτο δέ φησι καὶ Νεοπτόλεμος ὁ τὰ Ναυπακτικὰ ποιήσας καὶ Φερεκύδης ἐν ϛ̅ φησίν* e. q. s. cfr. Weichert. de Apoll. p. 210 sqq. et Markscheffel. Hesiod. etc. p. 252 sqq. — Apollonii fons videtur esse, quamquam Parianus quod fuit — erat Parium urbs Bithyniae — talis arridere posset sententia; Neoptolemus enim post Apollonium sed non multum post eum vixisse videtur; cfr. Weichert. l. l. p. 214—15; aut hic aut Asclepiades Myrleanus (cfr. schol. ad Apollon. II, 789) fortasse is est scriptor quem Apollodorus et Androetas de Amyco et templo regis Amyci exscripserunt.[2])

Harpyiae etiam in peculiaribus fabulis exstabant velut apud Homerum, quo demonstratur eas Graecas esse ab initio; sed commixtae cum fabula de Phineo eae factae sunt quales ex Aeschyli tempore describuntur et pinguntur; tantum autem aut Phoenicum antiqua de Phineo mythologia aut ipse locus Salmydessus effecisse videtur. Postea alia epitheta data sunt Harpyis et foeda quidem cfr. Hygin. f. 14 et Tzetz. ad Lycophr. v. 653.

---

[1]) Cfr. Aeschyl. Eum. 48 sqq. C. W. Mueller. in encycl. Ersch. et Grub. s. v. Harp. [2]) Cfr. Mueller. Frg. H. Gr. I, p. XLIV.

Phineus et Harpyiae pictae erant in arca Cypseli (cfr. Paus. V, 17: *Φινεύς τε ὁ Θρᾷξ ἐστί, καὶ οἱ παῖδες οἱ Βορέου τὰς Ἁρπυίας ἀπ' αὐτοῦ διώκουσιν*) et in sella Bathyclis (cfr. Paus. III, 18. 15 *Κάλαις δὲ καὶ Ζήτης τὰς Ἁρπυίας Φινέως ἀπελαύνουσιν*); praeterea invenitur in Millingeni antiq. inedit. monum. tab. 15 cena Phinei; de Harpyis recentiore tempore fictis vide Gerhard. ephem. archaeol. I, Voss. epist. myth. I, 34.

Superato Symplegadum periculo ad Mariandynos adpellunt Argonautae: Apollodorus breviter narrat I, 9. 23: *οἱ δὲ Ἀργοναῦται πρὸς Μαριανδυνοὺς παρεγένοντο, κἀκεῖ φιλοφρόνως ὁ βασιλεὺς ὑπεδέξατο Λύκος. ἔνθα θνήσκει μὲν Ἴδμων ὁ μάντις πλήξαντος αὐτὸν κάπρου, θνήσκε δὲ καὶ Τῖφυς καὶ τὴν ναῦν Ἀγκαῖος ὑπισχνεῖται κυβερνᾶν.* De Ancaeo erravit Apollodorus; alter enim Ancaeus Neptuni et Astypalaeae filius navem regere suscipit; de hoc scriptoris vitio vide quod addidit Heyn. observ. ad Apoll. p. 81. De fabula ipsa vide Apollon. Rhod. II, 725—898, Valer. Flacc. V, 1 sqq., Orphic. 717—730, schol. ad Apollon. Rhod. I, 139, Eudoc. p. 237 et 285.[1]) Tota fabula est Heracleensis ut supra iam diximus, neque igitur ante a. 658 potest ficta esse; quocum consentit quod primus Herodorus de ea scripsit et Nymphis (schol. ad Apollon. II, 752) qui fons est Apollonii,[2]) nec non Promathidas (schol. II, 815); qui hosce primi exscripserunt fuerunt Apollonius et Callimachus; nam dum de pugnis inter Herculem et Mariandynum quod Heracleotae tradiderant plures in sua intexuere opera[3]) nostra fabula usque ad Alexandrinos nominatos poetas a nullo alio scriptore videtur addita fuisse, exceptis nimirum Heracleotis. Ceterum quod Movers. Phoen. II, 2 p. 300 dixit, signum esse Adonis si quis ab apro interfectus sit, et Asteriam quam Pherecydes in schol. ad Apollon. Rhod. I, 139 genealogiam pertractans matrem fuisse testatus est Idmonis, esse Astarten, utrum recte iudicaverit necne non discernam; videtur autem prius verum, posterius falsum esse.

Quae praeterea ante Argonautarum adpulsum ad Phasin gesta sunt varia eaque miris modis enarrata exstant, multa autem nomina gentium addita imprimis inter Thermodontem

---

[1]) De Tiphy cfr. Forchhammer. Hellen. p. 205. [2]) Cfr. schol. ad Apollon. II, 729. [3]) Cfr. schol. ad Apollon. II, 777—789.

fluvium et Phasin habitantium, et fluminum et montium; sed tota fabulae pars vetustioribus poetis velut Pindaro si non ignota at certe non narrata est in Argonautarum expeditionis dispositione. Neque Apollodorus quidquam praebet neque Diodorus; et Apollonius (II, 899—1287), Valerius Flaccus (V, 72—177), Orphici carminis auctor (v. 729—762), Hyginus (f. 20—21), Eudocia (p. 213 et 378) unde potissimum originem duxerit quod exhibent facile liquet. Primum enim hisce omnibus Apollonius fons est, qui ipse e scriptis geographicis hausit ut docent scholia. Sed videamus singula. Ac primum de Callichoro flumine legimus (Apollon. II, 904):

ὦκα δὲ Καλλιχόροιο παρὰ προχοὰς ποταμοῖο
ἤλυθον, ἔνθ' ἐνέπουσι Διὸς Νυσήιον υἷα
Ἰνδῶν ἡνίκα φῦλα λιπὼν κατενάσσατο Θήβας
. . . .
ἐξ οὗ Καλλίχορον ποταμὸν περιναιετάοντες
ἠδὲ καὶ Αὔλιον ἄντρον ἐπωνυμίην καλέουσιν.
ἔνθεν δὲ Σθενέλου τάφον ἔδρακον Ἀκτορίδαο
ὅς ῥά τ' Ἀμαζονίδων πολυθαρσέος ἐκ πολέμοιο
ἂψ ἀνιών — δὴ γὰρ συνανήλυθεν Ἡρακλῆι —
βλήμενος ἰῷ κεῖθεν ἐπ' ἀγχιάλου θάνεν ἀκτῆς.

In his quoque fabulis enarrandis maxime occupati erant Heracleotae velut certe Promathidas,[1]) et fortasse iam Herodorus.[2]) Ab Heraclea igitur fabula pendet et Heracleotae primi eam cum mytho de Argonautis coniunctam in Graecas intulerunt litteras, quocum congruit schol. II, 904 de Callichoro flumine: *ποταμὸς Παφλαγονίας ἱερὸς Διονύσου περὶ Ἡράκλειαν*; ne autem mireris quod si de Heraclea sermo est non videatur indagari vestigium de ipso Hercule fabulae, moneo de Sthenelo comite Herculis in expeditione ad Amazones facta, qui ad Callichorum flumen mortem obiisse dicitur vulneratus, cfr. schol. ad Apollon. II, 911. Hic Orpheus lyram Apollinis arae imposuisse fertur unde nomen postea terrae datum; Promathidas (cfr. schol. ad Apollon. II, 929) *ἐπὶ στήλης αὐτήν τε θεῖσθαι ὑπὸ Ὀρφέως* tradidit. Illa vero Bacchica de Callichoro flumine fabula, quae ab Heracleotis ut diximus ficta est et propagata, originem duxit a Boeotis qui cum Megarensibus Heracleam con-

---

[1]) Cfr. schol. ad Apollon. Rhod. II, 911 et 927. [2]) Cfr. ibid. II, 901.

diderunt, cum in Boeotia Bacchicum cultum fuisse praeter templa Euripidis Bacchides quoque adfirment.

Iam quae sequantur videamus (Apollon. II, 936):

Καὶ δὴ Παρθενίοιο ῥοὰς ἁλιμυρήεντος
πρηυτάτου ποταμοῦ παρεμέτρεον, ᾧ ἔνι κούρη
Λητωὶς, ἄγρηθεν ὅτ' οὐρανὸν εἰσαναβαίνῃ
ὃν δέμας ἱμερτοῖσιν ἀναψύχει ὑδάτεσσιν.
νυκτὶ δ' ἔπειτ' ἄλληκτον ἐπιπροτέρωσε θέοντες
Σήσαμον αἰπεινούς τε παρεξενέοντ' Ἐρυθίνους,
Κρωβίαλον, Κρῶμνάν τε καὶ ὑλήεντα Κύτωρον.
ἔνθεν δ' αὖτε Κάραμβιν ἅμ' ἠελίοιο βολῇσιν
γνάμψαντες παρὰ πουλὺν ἔπειτ' ἤλαυνον ἐρετμοῖς
Αἰγιαλὸν πρόπαν ἦμαρ ὁμῶς καὶ ἐπ' ἤματι νύκτα.
αὐτίκα δ' Ἀσσυρίης ἐπέβαν χθονὸς ἔνθα Σινώπην
θυγατέρ' Ἀσωποῖο καθίσσατο καί οἱ ὄλασσεν
παρθενίην Ζεύς, e. q. s.

Animadvertendum est hic primum occurrere in Ponto Euxino urbium nomina, sed ita ut Sinope nondum condita exstet, simili quodam modo ut ad Propontidem de Cyzico vidimus et Cio: quibus si Themiscyram addis omnia habes oppida ab Apollonio in litore usque ad Phasin nominata; et inter Pityeam (I, 933) et Sesamum nulla urbs vocatur excepta fortasse Adrastea (I, 1116), quae tamen ad expeditionem ipsam non pertinet, inter Sesamum et Phasin sex: Sesamus, Erythini, Crobialon, Cromna, Cytorus, Themiscyra (in Phinei oratione, II, 345—401 Apollon. urbes non adduntur). Liquet ex his Cyzicum et Cium et Sinopen esse quasi mansiones fabulae in itinere. Nequit autem statui de tempore quando primum Sinope condita sit, cum ante Milesiorum adventum et urbem iam constitutam fuisse et Graecos quoque ante eos ad illam oram adpulsum fecisse liqueat, quae ex eo quoque intelleguntur quod ipsius urbis Sinopes postea dicebantur Argonautae fuisse fundatores; [1]) sed idem de Sesamo circumferebatur. [2]) Tantum autem de Sinope videtur dicendum esse, eam ante Ol. X conditam esse, vel ut accuratius loquar ante hoc tempus primum Graecos huc venisse et inter alios Boeotos quoque; cfr. O. Mueller. Orch. p. 293 sq. Et revera quodam

---

[1]) Cfr. Strab. XII. 546. Apollodor. I. 9. 16. Appian. in Mithrid. 83. Valer. Flacc. V, 108 sqq. [2]) Cfr. Hygin. f. 14 Stephan. Byz. s. v.

modo videtur explicabile esse cur Paphlagoniae urbes ante Mariandynorum aliarumque gentium nominatae sint; cum enim iam hisce terris commercium institutum fuisse videatur ita ut mercatores ad Asiae minoris oram occidentalem adpellerent et hinc rursus Graeciam peterent, prius videtur ventum esse terra in hasce regiones quam mari. Sed hoc utut est non ultra Ol. X licet transgredi in definiendo tempore quo fabula ad litus Paphlagoniae fixa sit.

De Parthenio flumine mythum ex etymologia nominis ortum esse adfirmari videtur eo quod de Diana sermo est. Apollonii fons videtur fuisse Callisthenes, Alexandri Magni comes, cum scholiasta praeter hunc neminem novisse videatur qui de hac re scripserit; cfr. schol. ad Apollon. Rhod. II, 936: *Παρθένιον δέ φησιν αὐτὸν ὠνομάσθαι Καλλισθένης διὰ τὸ τὴν Ἄρτεμιν ἐν αὐτῷ λούεσθαι. ἔνιοι δὲ διὰ τὸ στάσιμον τοῦ ῥεύματος καὶ ἤρεμόν φασιν οὕτω προσαγορεύεσθαι.* Item ut explicaretur nomen urbis Sinopes fabula facta est haec, cfr. schol. ad Apollon. II, 946: *ὁ δὲ Τήιος Ἄνδρων φησὶ μίαν τῶν Ἀμαζόνων φυγοῦσαν εἰς Πόντον γήμασθαι τῷ τῶν τόπων ἐκείνων βασιλεῖ, πίνουσάν τε πλεῖστον οἶνον ὀνομασθῆναι Σανάπην, ἐπειδὴ μεταφραζόμενον τοῦτο σημαίνει τὴν πολλὰ πίνουσαν*; idem Philostephanus narravit secundum l. l.: *ἐπεὶ δὲ οἱ μέθυσοι σανάπαι λέγονται παρὰ Θρᾳξίν, ᾗ διαλέκτῳ χρῶνται καὶ Ἀμαζόνες, κληθῆναι τὴν πόλιν [Σανάπην], ἔπειτα κατὰ φθορὰν Σινώπην. ἡ δὲ μέθυσος Ἀμαζὼν ἐκ τῆς πόλεως παρεγένετο πρὸς Λυτίδαν ὥς φησιν Ἑκαταῖος.* Talia igitur iam apud Hecataeum legebantur; etiam Eumelus de genealogia Sinopes exposuerat et Aristoteles et Artemidorus; et Eumelus quidem in fabulae de Argonautis enarratione ut est verisimile, i. e. in Corinthiacis; vides igitur iam fere apud antiquissimum Argonauticon scriptorem de Sinope expositum fuisse, et cum Eumelus qui floruit c. a. 750 iam hoc narraverit, Ol. X, quem supra nominavimus terminum post quem non fixa sit illis locis fabula, revera ultimum esse terminum intellegis.

Iam de Amazonibus quaerendum est; cfr. Apollon. Rhod. II, 964—1000; neque apud Apollodorum neque apud Hyginum neque in Valerii Flacci neque in Orphico carmine de his expositum est. Sequitur Apollonius Pherecydem ut liquet e schol. II, 990: *Ἁρμονία νύμφη Ναΐς, ἧς καὶ Ἄρεως Ἀμα-*

ζόνας εἶναί φησι Φερεκύδης, ᾧ ἕπεται Ἀπολλώνιος, sed dubium est an de genealogia tantum scholion intellegendum sit; recte fortasse suspicaris Apollonium primum fabulam de Amazonibus cum nostra coniunxisse; commemoraverunt quidem scholiastae scriptores qui de Amazonibus exposuerint velut Hecataeum (II, 999), Ephorum, Dionysium (ἐν δευτέρῳ κατὰ Λιβύην), Zenothemin (II, 965), nemini tamen tribuitur adpulsus Argonautarum ad Amazonum oram; cum praeterea Amazones ad nostrum mythum nihil valeant, quin Apollonius qui heroes cum omnibus quicunque illic habitarent quo expeditio fieret rem habuisse vellet narrare, ipse fabulas consertas fecerit etsi nullus dubito, non ausus tamen est multa et graviora quidem fingere cum dicat tantum (II 985): καί νύ κε δηθύνοντες Ἀμαζονίδεσσιν ἔμιξαν ὑσμίνην,— εἰ μὴ ἄρ ἐκ Διόθεν πνοιαὶ ἤλυθον. Qua ex re supersedere possumus accuratiorem disquisitionem praesertim cum de Amazonibus nuper uberius egerit O. Kluegmann. in Philol. vol. XXX p. 524 sqq., quem vide.

Progredimur igitur ad insulam Ariam et Stymphalides aves. Breviter de hác re exposuit Hygin. f. 20 et 21: ‚Argonautae cum ad insulam Ariam venissent et aves ex pennis suis eos configerent pro sagittis, cum multitudini avium resistere non possent ex Phinei monitu clypeos et hastas sumpserunt exque more Curetum sonitu eas fugarunt.' 21 . . . . . ‚ibi invenerunt naufragos nudos atque inopes Phrixi et Chalciopes filios Argum, Phrontin, Melam, Cytisorum. Qui cum casus suos exposuissent Iasoni, se cum ad avum festinarent Athamanta ire naufragio facto ibi esse eiectos, propinquos Iason receptos auxilio iuvit.' Uberius Apollonius Rhodius II, 1031 — 1232. De Stymphalidibus avibus scripsit Euripides quoque, cfr. schol. ad Apollon. II, 382: ὅτι δὲ ἡ νῆσος (Ἀρητίας) αὕτη ὄρνιθας ἔχει τοξευούσας τοῖς πτεροῖς ὡς βέλεσιν ἱστορεῖ καὶ Εὐριπίδης ἐν Φρίξῳ, (cfr. Welcker. de trag. gr. II, p. 611 sqq.). De situ insulae cui et Aretias et Aria nomen testimonia non congruunt, cum Hyginus quem supra exscripsi eam prope ad Symplegades posuerit, Apollonius autem inter Themiscyram et Colchorum terram; nomen insulae eodem modo quo nomina Aea, Salmydessus, alia, quo longius procedebat tempus in eo remotiores locos repulsum, cfr. O. Mueller. Orch. p. 287 et 288.

Fons Apollonii est Timagetus qui commemoratur in schol. ad Apollon. II, 1031: *περὶ δὲ τῆς Ἄρεως νήσου καὶ τῶν ἐν αὐτῇ ὄρνεων μέμνηται Τιμάγητος*, quem scriptorem imprimis ut videtur geographicarum rerum — laudatur enim propter libros *περὶ λιμένων* inscriptos — pluries Apollonius secutus est: cfr. schol. ad Apollon. IV, 284: *οὐδεὶς δὲ ἱστορεῖ διὰ τούτου* (scil. *Ἴστρου*) *τοὺς Ἀργοναύτας εἰσπεπλευκέναι εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν ἔξω Τιμαγήτου, ᾧ ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος*, et schol. IV, 259 de Timageto dictum est: *κατακολουθεῖ δὲ αὐτῷ καὶ Ἀπολλώνιος*. Videtur autem ex tragicorum poetarum fictione esse avium commemoratio hoc loco facta, cum quantum video primus Euripides in Phrixo eas ad insulam Ariam venisse dixerit;[1]) sed Apollonium ipsum tragicum poetam secutum esse minus est verisimile quam probabile Timagetum esse fontem, secundum eius in componendo carmine rationem propositam de qua pluries diximus. Liquet autem hanc de avibus fabulam ad nostram minime pertinere, quod ex eo quoque cognoscas quod cum cultu Dianae coniunctae Stymphalides fuisse videntur: Pausanias enim scripsit VIII, 22, 7: *ἐν Στυμφήλῳ* (Arcadiae) *δὲ καὶ ἱερὸν Ἀρτέμιδός ἐστιν ἀρχαῖον Στυμφηλίας· τὸ δὲ ἄγαλμα ξόανόν ἐστι τὰ πολλὰ ἐπίχρυσον. πρὸς δὲ τοῦ ναοῦ τῷ ὀρόφῳ πεποιημέναι καὶ αἱ Στυμφηλίδες εἰσὶν ὄρνιθες . . . . . εἰσὶ δὲ αὐτόθι καὶ παρθένοι λίθου λευκοῦ, σκέλη δέ σφισίν ἐστιν ὀρνίθων, ἑστᾶσι δὲ ὄπισθε τοῦ ναοῦ.* Cui Stymphalidum avium formae congruum est quod Mnaseas tradidit, cfr. schol. ad Apollon. II, 1052: *ἰδίως δὲ Μνασέας φησὶ Στυμφάλου τινὸς ἥρωος καὶ Ὄρνιθος γυναικὸς γενέσθαι Στυμφαλίδας θυγατέρας, ἃς ἀνελεῖν τὸν Ἡρακλέα, ὅτι οὐ προσεδέξαντο αὐτὸν καὶ ἐξένισαν τοὺς Μολίονας.* Sed haec quem ad finem a quali auctore scripta sint statim intelleges; et recte Vossius in epist. mythol. I, 32 statuit recentioris hanc fabulam esse temporis; omnes enim vetustiores scriptores velut Pherecydes, Hellanicus, alii aves fuisse confirmaverunt Stymphalides, non feminas, cfr. schol. ad Apollon. II, 1052. Ab Hercule aves a Stymphalo ad insulam Ariam fugatas et nantes nominatas esse discimus e schol. ad Apollon. l. l., ubi legitur: *πλωίδες δὲ ὄρνιθες καλοῦνται διὰ τὸ ἐν τῇ λίμνῃ αὐτὰς νήχεσθαι τῆς Ἀρκαδίας ἃς Ἡρακλῆς ἀπεδίωξεν.* Praeter-

[1]) Cfr. schol. ad Apollon. II, 382.

ea ex Apollonio videmus eas pennis pro sagittis usas homines interfecisse; et de stercore earum legas quae scripsit Servius ad Verg. Aen. VIII, 300. Sed non sola Aria insula est Ponti incredibilibus referta avibus; cui enim non veniet in mentem Stymphalidum legenti quae Philostratus in Heroicis (p. 246 edit. Boisson.) exposuit: *ὁ δὲ* (Neptunus scil.) *ἐνθυμηθεὶς τὸ μῆκος τοῦ Πόντου, καὶ ὅτι νήσου μηδεμιᾶς ἐν αὐτῷ κειμένης ἀοίκητος πλεῖται, τὴν Λευκὴν νῆσον, ὁπόσην εἶπον, ἀνέφηνεν Ἀχιλλεῖ μὲν καὶ Ἑλένῃ οἰκεῖν, ναύταις δὲ ἵστασθαι καὶ ἐν τῷ πελάγει ἐγκαθορμίζεσθαι.*[1] *Ξυμπάσης δὴ ἄρχων ὁπόση ὑγρὰ οὐσία καὶ τοὺς ποταμοὺς ἐννοήσας τὸν Θερμώδοντα καὶ τὸν Βορυσθένην καὶ τὸν Ἴστρον, ὡς ἀμηχάνοις τε καὶ ἀεννάοις ῥεύμασιν ἐς τὸν Πόντον ἐκφέρονται, προὔχωσε τὴν ἰλὺν τῶν ποταμῶν, ἣν ἀπὸ Σκυθῶν ἀρξάμενοι σύρουσιν ἐς τὸ πέλαγος, νῆσόν τε ὁπόσην εἶπον ἀπετόρνευσε, ξυστησάμενος αὐτὴν ἐν τῷ πυθμένι τοῦ Πόντου. Ἐνταῦθα εἶδόν τε πρῶτον καὶ περιέλαβον ἀλλήλους Ἀχιλλεύς τε καὶ Ἑλένη. Καὶ γάμον ἐδαίσαντο σφῶν Ποσειδῶν τε αὐτὸς καὶ Ἀμφιτρίτη, Νηρηίδες τε ξύμπασαι καὶ ὁπόσοι ποταμοὶ καὶ δαίμονες ἔρχονται τὴν Μαιῶτίν τε καὶ τὸν Πόντον. Οἰκεῖν μὲν δὴ λευκοὺς ὄρνιθας ἐν αὐτῇ φασιν, εἶναι δὲ τούτους ὑγρούς τε καὶ τῆς θαλάττης ἀπόζοντας, οὓς τὸν Ἀχιλλέα θεράποντας ἑαυτοῦ πεποιῆσθαι, κοσμοῦντας αὐτῷ τὸ ἄλσος τῷ τε ἀνέμῳ τῶν πτερῶν καὶ ταῖς ἀπ᾽ αὐτῶν ῥανίσι. πράττειν δὲ τοῦτο χαμαὶ πετομένους καὶ μικρὸν τῆς γῆς ὑπεραίροντας.* In hanc Achillis insulam veniunt Amazones quoque (Philostrat. p. 259 sqq.) et quantopere inter se commixtae fuerint vides fabulae Ponticae, quarum multae recentioris temporis, multae non mythi sed enarrationum tantum nomine dignae sunt.

Alienum videtur esse hoc loco uberius disquirere de Hercule, qui secundum fabulam Arcadicam ad quam aves procul dubio referendae sunt, aut interfecit Stympalides secundum testimonia Pherecydis et Hellanici (cfr. schol. ad Apollon. II, 1052) aut fugavit tantum — id quod plerumque narrabatur — iussus ab Eurysteo qui istum laborem ei sextum imposuit; cfr. Iacobi lex. mythol. s. v. Hercul. II, p. 407 et s. v. Stymph. p. 833.

---

[1]) Haec igitur tertia forma est Dianae Tauricae praeter Iphigeniam et Medeam; vide quod supra de hac re diximus.

Argonautae in insula Aria inveniunt filios Phrixi quos recipiunt: *ἀναλαβόντες αὐτοὺς οἱ Ἀργοναῦται ἔσχον καθηγεμόνας καὶ πάλιν αὐτοὺς ἀπήγαγον εἰς Ὀρχόμενον* (schol. ad Apollon. II, 1093). Ista fabulae pars genuina et antiquissima esse videtur, inserta ex quo de Phrixo fabula cum nostra commiscebatur, quoniam Hesiodus de filiis Phrixi iam disposuit quattuor — erant Argus, Phrontis, Melas, Cytisorus — quibus Epimenides quintum addidisse fertur Presbonem.[1])

Iam ad Colchos veniunt ipsos, quos petierant; nam quae de gentibus inter insulam Ariam et Phasin flumen habitantibus disposuit Apollonius ita instituta sunt, ut periplum fortasse secutus sit Ponti Euxini, sed non conecteret cum mythis illarum nationum fata Argonautarum; huc imprimis referendi sunt Mossynoeci, nec non simili quodam modo mons Caucasus et Prometheus, quem vident quidem heroes, sed non liberant. De Prometheo vide quod teste scholiasta (ad Apollon. II, 1248) Herodorus scripsisse fertur, — id quod tribui nequit Herodoro, quoniam narrationis tenor neque Herodori scribendi rationi aptus est neque omnino in eius tempus quo talia nondum putabantur quadrat. Locus autem hic est: *καὶ Ἡρόδωρος ξένως περὶ τῶν δεσμῶν τοῦ Προμηθέως ταῦτα. εἶναι γὰρ αὐτὸν Σκυθῶν βασιλέα φησί, καὶ μὴ δυνάμενον παρέχειν τοῖς ὑπηκόοις τὰ ἐπιτήδεια διὰ τὸ τὸν καλούμενον Ἀετὸν ποταμὸν ἐπικλύζειν τὰ πεδία δεθῆναι ὑπὸ τῶν Σκυθῶν, ἐπιφανέντα δὲ Ἡρακλέα τὸν μὲν ποταμὸν ἀποστρέψαι εἰς τὴν θάλασσαν καὶ διὰ τοῦτο μεμυθεῦσθαι ἀνῃρηκέναι τὸν ἀετὸν Ἡρακλέα, τὸν δὲ Προμηθέα λῦσαι τῶν δεσμῶν.* (Haec quodam modo consentiunt cum eis quae Apollonius II, 1015 sqq. narrat de moribus Mossynoecorum ad sacrum montem habitantium.) Illa adnotatio Herodoro a scholiasta tributa cuius sit ex ipso scholio liquet, ubi legimus: *Ἀγροίτας δὲ ἐν τῇ ιγ̅ τῶν Λιβυκῶν δαπανᾶσθαί φησι τὸ ἧπαρ Προμηθέως δόξαι ὑπὸ τοῦ ἀετοῦ διὰ τὸ τὴν κρατίστην τοῦ Προμηθέως χώραν τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον Ἀετὸν φθείρειν, ἧπαρ δὲ παρὰ πολλοῖς τὴν εὔκαρπον λέγεσθαι γῆν. Ἡρακλέους δὲ ἐξοχετεύσαντος διώρυξι τὸν ποταμὸν τόν τε ἀετὸν δόξαι ὑπ' αὐτοῦ κεχωρίσθαι καὶ τὸν Προμηθέα λελύσθαι τῶν δεσμῶν.* Post vocem *Ἡρόδωρος* lacuna statuenda est; id quod saepius in

[1]) Cfr. schol. ad Apollon. II, 1122.

scholiis ad Apollonium Rhodium factitandum est, cum vetusta scholia qui exscripsit in nimiam brevitatem contraxerit, cfr. Lehrsius de Asclep. Myrl. p. 432, Weichert. vit. et script. Apoll. p. 166 et saepius. De ipsa re comparandus est locus Diodori I, 19 et Forchhammer. Hellen. p. 228. Aliud fabulatus est Duris de cultu Herculis a gentibus ad Caucasum habitantibus instituto (cfr. schol. ad Apollon. Rhod. II, 1249): *Δοῦρις δέ φησι διὰ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἐρασθῆναι* (aquilam scil. missam esse Prometheo). *ὅθεν τοὺς περὶ τὸ Καυκάσιον οἰκοῦντας μόνῳ Διὶ καὶ Ἀθηνᾷ μὴ θύειν διὰ τὸ κολάσεως αἰτίους Προμηθεῖ γενέσθαι, καθ' ὑπερβολὴν δὲ σέβειν Ἡρακλέα τῆς τοῦ ἀετοῦ τοξείας χάριν.*

Ad finem propositi perveni, cum de rebus apud Colchos gestis deque reditu heroum disserere non liceat propter spatii exiguitatem. Tamen haec cum et quae uberius tractentur digna sint et facilius insuper tractari possint, quoniam de laboribus Iasonis et coloniis Graecis ad maris mediterranei litora sitis maximam partem certiores facti sumus a permultis scriptoribus antiquis, quo fit ut hanc de Argonautis fabulae partem expositur o certiora evadant, si occasio dabitur tractandi, ut tractem propositum habeo.

Typis expresserunt Fiencke & Schachel.

[redacted]



